ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
Hiſtoriographi Regii, Profeſſoris, Conſiliarii, &c.

EPISTOLARUM
POSTHUMARUM
CENTURIA VII.

Ad Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum

D. GUILIELMUM
DE BLITTERSWYCK

In Magno Belgicæ Senatu Conſiliarium, Libellorumque Domus Regiæ Magiſtrum, &c.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO CIƆ, IƆC. LXIII.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
DOMINO,
HIERONYMO DE VECCHIIS,
ABBATI
MONTIS REGALIS,
QUI
A SANCTA SEDE
AD NUNTIATURAM
APOSTOLICAM
IN BELGII BURGUNDIÆQUE
PROVINCIIS
OBEUNDAM,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aa AR-

Digitized by Google

ARDUAM SANE SPARTAM
MISSUS:
TUM BELLI,
TUM PACIS TEMPORE,
TAM PRUDENTER SE GESSIT,
UT CUNCTIS
NON MODO STUPORI;
SED ET AMORI
FUERIT;
MAGNIS ÆQUE AC PARVIS,
VIRIS RELIGIOSIS,
AC LAICIS,
GRATUS ATQUE LAUDATUS;
MULTIFARIÆ UTI DOCTRINÆ,
AC
ELEGANTIÆ POSSESSOR
ITA

ITA ET

ERUDITORUM PASSIM,

SINGULARIS

CULTOR ET FAUTOR,

POTESTATIS AC DISCIPLINÆ

ECCLESIASTICÆ,

SI ULLUS,

STRENUUS ASSERTOR

ATQUE EXACTOR:

DIGNUS CERTE

QUI AD ALTIORA

MOX ELEVETUR.

INSIGNI HUIC

P R Æ S U L I,

TANTISQUE

DOTIBUS DIVITI,

 CUM

CUM MAGNIS

C H I S I I S,

B I C H I I S Q U E

CIVI PATRICIOQUE

S E N E N S I,

AC IN

URBE PALATINA

B R U X E L L E N S I,

S E P T I M O

JAM ANNO RESIDENTI,

SEPTIMAM HANC

E P I S T O L A R U M

E R U D I T I S S I M I

B R U X E L L Æ,

INCOMPARABILI EXEMPLO

SEP

SEPTENARIÆ,

DESCRIPTORIS.

ERYCI PUTEANI,

CENTURIAM

BLITTERSVVYCKIAM

VEL CHARIOREM

HOC NOMINE FUTURAM,

EJUS GENER

XYSTUS ANTONIUS MILSER

LUBENS MERITO

DEDICAT.

Digitized by Google

ERYCII PUTEANI

EPISTOLARUM

POSTHUMARUM,

AD NOBILISSIMUM

ET AMPLISSIMUM VIRUM

D. GUILIELMUM

DE BLITTERSWYCK,

Equeſtri apud Sicambros Stirpe, ibidem nuper in Suprema Curia Senatorem & Procancellarium: nunc in Magno Belgicæ Senatu Conſiliarium, Libellorumque Domus Regiæ Magiſtrum,

CENTURIA VII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA I.

Bruxellam.

TUa mihi ſcriptio, mi BLITTERSWYCKI, gratiorem annum & redeuntis in ſe temporis circulum facit. Scriptio boni ominis plena, quia amoris eru-

Digitized by Google

ditè & eleganter explicati. Perge ſcribere, perge amare; felix ero, & vel abſentem præſens complecti videbor. Tua me indoles oblectavit ſemper, quia nobiliore vigore ad ſeria & ſublimia tranſmittit mentis ſtudia, deſpiciens quidquid humi, & per merum lucrum ſerperet. Et me cepit candor túus, qui non poterat niſi ab optima indole proficiſci. Euge Patrem exprimis, ut plenam tibi laudem vindicares: quem bis Patrem habes, quia in exemplum etiam morum potes advocare. Si quid à mea accedere diſciplina potuit, cogita felici terræ bona ſemina commiſſa eſſe. Sed fructum video lætâ jam maturitate exſerentem ſe ſe, in Familiam, in Rempublicam redundaturum. Ego verò hortor te, atque etiam rogo, ut quemadmodum me audire ſolitus es, ita animum pergas veterum Scriptorum lectione exornare. Hiſtoria perluſtranda eſt. PLUTARCHUS verò, quia partim Hiſtoricus, partim Philoſophus eſt, plus quàm alii ſuppeditabit. Hæc ecce familiaritas mea eſt, ſed tanquàm adhuc doceam: imò hic amor eſt, ut audeam familiaris eſſe. Sic jam recipio munuſculum tuum, libellum, inquam, VISCHERI illius de Electione Regis Romanorum. Argumentum hujuſmodi eſt, ut allicere curioſitatem cujuſque poſſit. Sed ego quid

quid reponam? Mea ſingula, auſpicium ab UNO & OMNI ſumpturus, quæ mera ingenii Amœnitas eſt. De Carmine & Epiſtola Purpurata nihil jam dico. Hoc exemplo ſi liberalis ſæpiùs eris, recreari ex intervallo potero: præſertim ſi quæ dicuntur & fiunt, ſimul intelligam; quemadmodùm jam intellexi. De Solis ingreſſu in ſignum Piſcium, proximâ hebdomade ſcripturus ſum. Affirmare tamen non auſim, aliquo naturæ jure membra hominis ſignis obnoxia eſſe. Vale, & amare me perge. Cultum meum Optimo Parenti nuncio. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Feb. CIↃ. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

AMicè & liberaliter mecum agis, Mi *BLITTERSWYCKI*, non modio aut trimodio, ſed toto horreo, quidquid rerum eſt novarum mihi admetiens. Etiam ſermone tuo oblectatus ſum, quia ingenioſo & diſerto, & quo publicè poſſis uti. In meo, meram duntaxat familiaritatem invenias; & affectum talis quàm copiam æſtimare. Sed

quo argumento facundus Sim? Negotia noſtra ſtudia ſunt, & librorum ut ſic dicam cancellis continentur: ſterilia ſunt præſertim hoc Brumæ tempore; quo naſci amœnitatem potuiſſe, prodigii inſtar putes. *UNUS* eſt, & hunc mitto, ut epiſtolam iſtam augeam; non calamo tantùm, ſed & typis loquar. Hæc nova mea ſunt; quæ ſi viciſſim grata erunt, rogare audebo, ut amicè mecum & liberaliter pergas agere. Ita enim ſæpiùs inter curas meas oblectationem percipiam. Vale & Optimum Parentem à me officiosè ſaluta. Lovanii, in Arce, III. Kal. Feb. ꝏ. IↃC. XXXIV. Ut familiariùs agam; pauca etiam iſta adjicio; quæ ſi otioſus es, legere, ſtatim poteris; ſi occupatus differre. Pauca aliqua Exemplaria Amœnitatis hujus novæ diſtribuere inter Magnos & Amicos *BRUXELLÆ* velim, an tuâ audebo operâ uti? Non ut tradas ipſe, ſed per famulum mittas. Honeſtiùs id quàm per tabellarium; quem ſemel oneraſſe ſatis erit. *STURMII* noſtri Prognoſticon non illibenter, ſcio, videbis. Sed vos *BRUXELLÆ* etiam deprehendere potueritis, nuperã divinationem meam veram fuiſſe de inundatione. Ergo *DODECAETERIS CHALDAICA* non prorſus vana eſt, in *CENSORINO* mihi explicata. Hem ingreſſu Solis

Solis in Piſces quomodo hæret? Seorſim hac de re miſſurus ſum, & tempeſtivè dum adhuc aquæ fluunt. Ego ſanè per hos dies occupatior fui, ut nihil tamen quaſi agerem. Noſti conditionem meam. Sed tuam nunc qualem eſſe dicam? A libris recedendum non eſt. *QUINCTILIANUM* lege, qui in nullius ferè manibus eſt; omnium, ſed tuis maximè dignus. Non pœnitebit hanc operam ſumpſiſſe. Vale iterum, & me ama.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

TAbellarii jam ſępiùs ſine litteris meis abire potuerunt; non debuit Frater qui optimus omnium erat tabellarius, Tuas interim accepi, amicas, officioſas, elegantes, & uberes. Stilus, ut video, tibi curæ eſt, & hoc jam uſu ſplendeſcit. Perge ſic ſcribere; me amare quoque, de quo jam bene meritus es. Etenim feliciter egiſti cauſſam illam meam ſtipendiariam; Orator & exorator fuiſti. Gratiam habeo; ideoque ſcribo, ut habeam: aliud enim argumentum non erat. Valetudo mea interdum titubat: ſtudia tamen tracto, in-

ſto, ingenium occupo, tanquàm ſic vivam valeamque. Lubuit quoque per hos dies, Sereniſſimæ Principis, in cœlum jam receptæ, IDEAM HEROICAM ſcribere; laude & luctu exemplum virtutis repræſentare. Editio adhuc differtur, ut videam quid alii adferant: atque ut interea meus ille liber Cenſuræ ſubjiciatur. Si quid circa dicta aut facta Principis peculiare habes, ſuggere, & vale. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Kal. Mart. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

VErecundè nuper laudes legi, quibus IDEAM meam cumulabas: verecundè etiam hunc jam libellum mitto, ne eaſdem ambire laudes videar. Mitto tamen, ut benevolentiam meam exprimam, ut officio ſatisfaciam, ut me teſter tuum eſſe. Videbis HISTORIAM ſed BARBARICAM, non fortaſſis Barbarè ſcriptam: nihilominus INSUBRICAM, niſi quod Commentarios omiſi. Cauſſam Typographus brevi ad lectorem Epiſtolâ expreſſit. Quia circumferri

libellus

libellus poteſt, faciliùs legetur: quia totam Europae fortunam continet, copioſiùs oblectabit. Sanè poſt Flori Romanam, hanc meam Barbaricam legere, operæ pretium ſit: Occaſum Imperii delineatum invenies. Vale, & Ampliſſimo D. Parenti cultum meum indica Lovanii, in Arce, xii. Kal. Septemb. ∞. I Ↄ C. xxxiv.

EPISTOLA V.

Bruxellam.

SI me amas, imò quia amas, hunc etiam Frãtrem meum amabis. Sanè cauſſas amoris eaſdem invenies, animi candorem & ingenii cultum, ſummum verò ſtudium de Rege & Religione bene merendi. Quid fecerit ille feliciter, quid infeliciter patiatur, libenter, ſcio, audies: dignus auxilio & favore bonorum omnium, & ſic tuo; imò optimi integerrimiq́, Parentis tui: quem verbis meis rogabis; ut hîc oſtendat ſe noſtrum eſſe, id eſt ſuum eſſe, & veri ratione omnia metiri. Exponet igitur cauſſam ſuam Frater, & oſtendet liquidam eſſe; quam longior mora periculoſam faciat.

Quàm alienum eſt à nobis, malâ fide agere, tam promptum mihi Fratrique meo affectum tuum, & Parentis favorem polliceor. Ita nunc vale, & ſi me amas(lubet enim ad principium redire) imò quia amas, etiam Fratrem meum amabis. Si quid poſt ultimam victoriam erit novi, fac ſciam, & de me tanquàm de Fratre ſtatue. Vale. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Octob. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

Libellum de ARTE VOLANDI nuper accepi, gratiſſimum profectò mihi munus; qui eodem in argumento ingenium aliquando occupavi. Nunc igitur gratiam tibi luculentam ſcribo, relaturus, ut ſpero, ubi CNOBBARUS, quæ mea cœpit, elegantiſſimis typis ſuis abſolverit. Novas etiam Centurias ſed annorum ordine colligo. In poſtremis, quanti ingenium tuum, nomen, affectum faciam oſtenſurus ſum. GASTONEM ſic erupiſſe ? Et hoc volare eſt. Sereniſſimò Cardinali noſtro Principem CARIGNANI & Marchionem AYTONAE obviam iviſſe intellexi. Deus ab hoc adventu res noſtras

lætiores faciet, & Belgarum Populos beabit. Si quid etiam ſcitu dignum erit, fac, quæſo ſciam, & nomine meo D. ELIAM BIAEUM complectere ac ſaluta. Cultum obſequiumque Ampliſſimo D. Parenti tuo defero, cui nunc etiam Fratris cauſsâ obſtrictus ſum. Vale, & amare me perge. Lovanii, in Arce, poſtrid. Eid. octob. ꝏ. I Ↄ C. XXXIV. Nova lectionum auſpicia ſuperiori hebdomade feci, Politica,& Hiſtorica:iſta in dies Martis & Mercurii, hæc in Jovis & Veneris. Nimirum miſcere utile dulci volui. Iterum vale.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

VAriis modis affectum tuum teſtaris, non unâ Epiſtolâ, non uno munere. Utraque verò Principis Imago gratiſſima mihi fuit; major quia perfecta; minor, quia Principis. Recreârunt me quoque Exemplaria illa fabulæ *HERCULIS* & *TYRI*; maximè nova, quæ. neſcio an lætiora hoc tempore, an meliora eſſe potuerunt. Quid Galli jam facturi ſint, ſpectabimus. Sed Regem noſtrum in Caſtra quoque proditurum!

Unus animabit multos, Unus terrebit multos. Quàm felix FERDINANDUS eſſe cœpit, tam PHILIPPUS quoque ſit! Quia pugnavit, potentiam aſſeret. Deo autem hæc committimus. In PURPURA, quæ mutari & emendari potuerunt, emendata ſunt. Dilatio ſera fuit, jam enim clauſula excuſa erat. Fortaſſis cùm PURPURAM totam leges, varia in hanc ſententiam deprehendes. Diſtichon certè imagini ſubjectum, quid dici poſſit, breviter continet & hoc in oculos ante omnia incurret. Exemplaria in dies exſpectabo; ut deinde BRUXELLAM veniam. Nunc adhuc moleſtus ſum, & rogo adjunctam ut epiſtolam D. MARTINO MUNNARRESIO, qui Excellentiſſimo Marchioni à Secretis hactenus fuit, ac jam deinceps intima Sereniſſimi Principis Cardinalis Arcana calamo ſuo aureo excepturus eſt, tradas. Optimus & Humaniſſimus hic Vir eſt, & quem venerari velis. Sic in me quidem pronus, ut verè Amicus poſſit appellari. Fac quæſo, ut tuus quoque ſit, & ſic magis meus. Quia de Harmoniaco quoque anno ad eum & prolixiùs ſcribo, diſſerendi argumentum habebis. Verſum illum mutare non minùs conatus fui, quàm amicè candidèque Optimus Prudentiſſimusque Pater tuus mu-

tandum

tandum eſſe cenſuerat. Ad typographum proinde litteras ea de re miſi. Vale, & Ampliſſimum D. Parentem à me ſaluta: GALLAEUM quoque, à quo ſex imaginis exemplaria exſpectabo. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Febr. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA VIII.

Bruxellam.

OPtimi Ampliſſimique Parentis tui humanitas tam me ſtrictè cepit, ut ſolvendo non ſim: tam me tua, ut in Filio Patrem inveniam, felix affectu utriuſque. Si amari, ſuaviſſimum eſt: ſic juvari in omnibus, neſcio quomodo ſatis celebrem. Tuus ille BIAEUS, imò meus, quemadmodùm ingenio cultiſſimus, ita animo candidiſſimus, hîc mihi nominandus eſt: quem ſic tecum amo, ut alium non putem. Recipio beneficia, tanquàm ab uno gemina; & rurſus, tanquàm à duobus unum. Prorſus ex quo veſter eſſe cœpi, quid ſit vera amicitia, deprehendi.

Una

Una hæc jam cura mea eſt, ut gratus ſim, & me dignum benevolentiâ utriuſque præſtem. Ad munus docendi reverſus ſum, & publicâ Diſſertatione Hiemi & Frigori valedixi. Nunc in Politicis meis Aphoriſmis pergo: quod unum Opus oſtendet Politicam Doctrinam bonis potiſſimùm Litteris illuſtrari. Vale. Lovanii, in Arce, ipſo Æquinoctio. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA IX.

Bruxellam.

ECce in manu calamus erat, ut ad te ſcriberem, & faſciculum tuum accepi. Quid audio igitur? Bella, horrida bella à Francis moveri? Sed nihil profectò hoc aliud eſt, quàm feliciſſimum hactenus Regnum cladi & calamitati deſtinare. Diſcerpentur fortè Lilia, minantur fata, extrema exſpectanda ſunt. Satis hactenus *AUSTRIACORUM* bonitas læſa eſt, Deus ipſe cauſſam ſuam aget, & impia conſilia diſſipabit. Meum votum eſt, ut ſalutari pace ad concordiam Reges veniant, ad ſecuritatem populi, qui inter ſpem metumque pendent. Sereniſſimum Cardinalem ajunt

aiunt hodie huc venturum. Deus proſpera illi omnia concedat, victorem hoſtium faciat, ſi pugnandum eſt. Nunc ad Illuſtriſſimum Comitem *COUPIGNIUM* ſcribo; quas tuæ iterum humanitati litteras commendo. Cùm nuper ille Arcem Lovanienſem videret, exiſtimavit quædam adhuc murorum vitia & vulnera curanda eſſe. Hoc jam igitur ago. De ordine Palladio ſeriò cogito, Diſſertatione aliquâ rem totam, & utilitatem rei complexurus. Hoc fine iſtam etiam ad Comitem *WALTHERUM* epiſtolam dirigo. Ad Encænia veſtra vocatus eram: ſed ego poſt Encænia venire malim. Proximis feriis & feſtis me videbis. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Junii. CIↃ IↃC. XXXV.

EPISTOLA. X.

Bruxellam.

IN publica lætitia privatum è litteris tuis gaudium cepi: quas copioſo ad me affectu mittere voluiſti; atque eo ipſo tempore quo deſtinabam ſcribere, & obſidionis fortunam indicare. Narrabit eam nunc verò *D. HAVENTIUS* noſter, qui pars laborum & vigliarum fuit, miles non Sacramento, ſed

munere

munere & ingenio quod amplius eſt quàm manu pugnare. Nos etiam in Arce munienda occupati fuimus, ut adverſùs extrema ſaltem tuti eſſemus, & fractus furor conditiones admitteret. Sed reſpexit nos Deus, ac prorſus ſingulari beneficio ſervavit, fame, ſiti, morbis, contabeſcente hoſtili exercitu, quem Virtus quoque militum noſtrorum, non parum afflixit. Singula admiranda ſunt, & uberiore narratione digna. Dabo *DIARIUM*, ut legant omnes, quod propemodum incredibile videtur. Malo igitur ab epiſtola ad librum calamum transferre, perficere quod cœpi, ac DIARIO quodam Obſidionem complecti. Interim, ut dixi, *D. HAVENTIUM* noſtrum audies, & me amabis. Vale. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Jul. ∞. IↃC. XXXV. Nobiliſſimum Ampliſſimumque D. Parentem, ſalvere jubeo, cum Matre Optima ac florentiſſimo Lare.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

ACcepi cum ſuaviſſimis delicatiſſimiſque litteris tuis nova, quæ læta erant; & luſus

luſus, qui ingenioſi. In *DIARIO* pergo: tardior tamen, ut accuratior pleniorque ſim, judicio potiùs tuo, Optimique Parentis, quàm deſiderio ſatisfaciam. Hiſtoria quæ veritatem exigit, præcipiti calamo tractari nequit: alia licet à me adferam, ac prompta ſint; variam tamen à rebus aliis & curis, hoc tempore moram patiuntur. Quicquid ſit, tempeſtivè, & tibi, ut ſpero, & aliis placebo. Interim vide Epigrammation iſtud, in geminum hoſtem. Fortaſſis plura dabo. Ut ſcias & noſtros hîc ludere, adjungo Jentaculum Lovaniense, quod vel prandio ſufficiat, vel etiam cœnæ. Sereniſſimus Princeps hodie hora XI. Urbem hanc ingreſſus eſt, Portâ Diſthemienſi, equo vectus, ſecundùm mœnia dextrorſum iter inſtituit ad Portam noſtram Mechlinienſem, ubi è vallo deſcendentem ſalutavi. Ille officio meo humaniſſimâ humanitate arriſit, familiares etiam voces depromẽs. Cùm oſtenderem hortum noſtrũ ſubverſum eſſe, arbores cæſas, contraxit humeros, & ſe dolere confeſſus eſt. Ego nullum eſſe damnum dixi, quod Urbis conſervandæ cauſſâ fieret. Atque ita felicia omnia apprecatus ſum. Ille igitur Urbe egreſſus (inter Portam enim Urbis, & hortum Arcis à me interpellatus ſalutatione conſtiterat) opera hoſtium luſtratum ibat,

ibat, quæ ad portam Bruxellenſem extenduntur, viſu digna, foſſis aggeribusque admiranda. Hortus igitur noſter, quia magnâ parte ſubverſus eſt, ſtatui in vicem & uſum Vineam Regiam, quæ proxima eſt, petere; ut Præfecturæ adhæreat. Vale, & Suaviſſimum BIAEUM noſtrum meo nomine complectere. Quid Ampliſſimo parenti tuo debeam, noſti: ſalutandus eſt, cum Matre Optima, totoque Lare. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Julii, CIↃ. IↃC. XXXV.

EPISTOLA XII.

Bruxellam.

FAſciculum tuum, velut theſaurum accepi; lætior jam, an ditior? Sed tu profectò oſtendis te non Amicum modò, ſed liberalem eſſe; nova, curioſa, erudita, mihi depromens, *MUSAM* illam *BELGICAM* non in uno ſcripto ſuſpicio, & admiror. *DECLARATIO* luculenta & Politica planè eſt; quam antea ab amico acceptam guſtaveram, nunc otioſè legam. Quid referre potero, niſi unam hiſtoriam meam, vel ideò properandam, ut liberalitatem tuam vernáculo ingenii munere æſtimem. Sanè &

nè & litteræ tuæ & ſchedæ velut ſtimuli mihi ſunt, quamvis excitato, ſed nónne præſtat paulò ſeriùs & accuratiùs? Quia ipſe inveſtigo omnia, expendo ſingula, moroſius argumentum eſt, impetusq; ſtili inhibetur. Quidquid ſit, operam dabo, ne tardus tibi videar. Quid ſi obſidio hæc *HISTORIÆ BELGICÆ* ſed *FERDINANDÆÆ*, liber primus ſit; cui reliqui, ordine extendendi ſubjungantur? Statuam ubi tuum, Ampliſſimique Parentis tui judicium intellexero: quem officioſiſſimè ſaluto. Candidiſſimi D. *BIÆI* ſcriptio, ſuaviſſima mihi fuit. Vale, & me amare, ut amas, perge, meum delicium; adhuc vale. Lovanii, in Arce, III. Eid. Aug. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA XIII.

Bruxellam.

SI me amas, Optimum Humaniſſimumque *BIÆUM* noſtrum, nomine meo complectere. Litteræ ejus gratiſſimæ mihi fuêre; fuêre tuæ cum toto quaſi *MERCURII* faſce. Non ſcripſi, variè detentus; nunc etiam dolore, quem è morbo, imò periculo optimę filię

 meæ

meæ DOROTHEÆ capio, totis jam duodecim diebus decumbentis. Febri vexatur, ſed gravi, & quæ mentem quoque corripit. Spem vix ullam ſupereſſe vitæ, Medici affirmant. ANNA-CHRISTINA laborare deinde quoque cœperat, ſed molliùs & ſine periculo hactenus. Quomodò non commovear? Pater ſum, & teneriori in liberos animo, quia bonos. Conſtantem me jubebis eſſe? At difficiliùs naturam exuo, quàm ad ſapientiam accedo. Scribe ad me, quæſo, & ſolatium capiam: me ama, & conabor dolorem vincere. Sic te complector mi BLITTERSWICKI, ſic BIÆUM noſtrum. De obſidionis Hiſtoria nihil jam dico: ſcito tamen libro ſingulari, brevi prodituram, tanquàm Hiſtoriæ Belgicæ prodromo. Nobiliſſimo Parenti obſequia mea offer, quem ſperamus cruciatibus ſive podagræ, ſive chiragræ ſublevatum. Bonis viris non fortuna tantùm, ſed natura noverca eſt. Animus ille Parentis tui Principatu dignus eſt. Quid ampliùs dicam? Vale. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Octob. ∞. IↃC.XXXV. Mors D. WOVERII gravis mihi fuit. Sed quantùm in illo amiſi, in BLITTERSWYCKIIS & BIÆIS inveniam, & VLEMINGIIS. Quando, quando vos complectar? Filius meus JUSTUS ſalutem addit.

EPIS-

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

DOlorem dolori addis, quem è cruciatibus Optimi Parentis tui capio. A tam caro capite periculum depulſum eſſe, magnum ſolatium eſt. Salutem, quæſo, à me indica, quam è penetralibus pectoris promo. Sed DOROTHEA illa mea, mihi crudo fato erepta eſt, erepta familiæ, quam ingenii potiſſimùm elegantiis exornabat. Sic igitur Deo placuit. Morientis pietas conſtantiaque me vetat triſtem eſſe: & difficulter tamen ad ſerenitatem animum revoco. Revoco tamen, & me conor ſtudiis reddere, languentibus hactenus, imò intermiſſis. De Adoleſcente illo ignoſce, ſi me amas: totus exciderat, ut videas me apud me non fuiſſe. Nunc breviter. Ac primùm neſcio an conſultum ſit, hoc tempore *LOVANIUM* eum mittere. Morbi, iique varii in Urbe graſſantur: peſtis quoque, ac præcipuas etiam domos occupavit. Pleraque juventus dilapſa eſt, & adhuc dilabitur. Sic jam ſilentia quædam ſtudiorum ſunt: ego quoque in Kalendas Novembres lectiones meas differo.

fero. Ad Familiarem meum quòd attinet, diligens eſt aptusque ut etiam rudiores inſtruat. Poſſet igitur bonus Adoleſcens ab eo inſtrui, & in proximo alibi habitare. Mea nihilominùs opera prompta erit, publica & privata: qui provectioribus ſanè me impendere malim. Sed qua ætate, quo profectu hic Adoleſcens eſt? Quo etiam fine capeſſit ſtudia? Si grave non eſt, ſciam id quoque. Te amo & omnia tuâ cauſsâ facere cupio, qui totus tuus ſum. Lovanii, in Arce, XV. Kal. Novemb. ∞. IↃC.XXXV. Salve mi Amice, & vale.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

MI BEITTERSVVYCKI, filium ſecundis etiam litteris revocavi; quas ferendas R. Patri *ANSELMO* Carmelitæ Excalceato tradidi, cum iiſdem illis Nobilibus Polonis in *ANGLIAM* trajecturo. Sed fortaſſis priores, per te miſſæ, omni nos curâ liberabunt. Obſidionis Hiſtoriam Humanitati tuæ commendaveram, ſcio, negotia publica, præſertim Præſidi incumbentia, & varia, & graviſſima eſſe; & ſic fortaſſe etiam

tiam Privilegio moram aliquam allatura. Leniter igitur Ampliſſimus *CORCELIUS* interpellandus : ſi quid etiam ſit, quod ad guſtum minùs faciat, mutari poterit. Sed ego poſt omnem cenſuram, judicium Ampliſſimi Parentis tui æſtimabo. Ergo potiùs ut ipſe legat hanc Hiſtoriam, quàm ut edendi poteſtatem habeam, exemplar in tuas mox venire manus velim. Publica erit, ſi dignam publicis oculis ſcriptionem iſtam unus ille exiſtimabit. Quid enim? Ab uno æſtimari malim, quàm ab omnibus legi. Atque utinam de illo uno, & ſic de tota veſtra familia ſcribere mihi liceat! Quidni elogium aliquod Nobilitatis *BLITTERSWYCKIANÆ*? Cogita, & me in hiſce cogitationibus juva. Sed ut ad Obſidionem redeam, hanc ut & tu legere velis, rogo, & judicium tuum, Parentiſque, brevi epiſtolâ indicare. Eâ ornare editionem velim. Vale & Salve. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Decemb. ∞. Iↄc. XXXV.
Hanc epiſtolam è manu humaniſſimi noſtri *VANDERLINDII* accipies: ſic etiam gratiorem. Si quid novi, ſciam, quæſo. Adjungo Privilegii exemplar, quo Conſiliarii honore aliquando donatus ſum; cur adjungam, proximis litteris explicabo. Interim lege & Opt. Parenti oſtende.

EPISTOLA XVI.

Bruxellam.

VAlde me affligit novus Optimi Parentis tui morbus, an tantùm dolor? Sed profectò & dolor morbus eſt. Si me amas, ſcribe ſtatim, ut ſciam felix an infelix ſim. Nam quamdiu ille ægrotat, valere ipſe non videor, ſcribe, obſecro, & me mihi redde. Etiã de Fratre addis, cujus morbum ſic accepi, tanquàm pars familiæ veſtræ ſim, & nónne ſum? Hic animi mei candor eſt, quo me profiteor conjunctiſſimum eſſe. Ergo & Patri & Fratri nomine meo propitiam Hygeiam vove. Filia mea *EUGENIA* heri veſperi feliciter rediit, Hiſtoriam & quæ adjungis, reddidit. Epiſtola tua quidni gratiſſima ſit? Celeriter & amanter ſcripta eſt, & varietatem rerum habet. Epiſtolam *DUCIS PARMENSIS*, & examen nunc lego, & perquàm avidè.. Maturum Conſilium, dignum eſt non unâ linguâ exprimi. Quid etiam? Pleroſque hominum mentiri, nimis verum eſt. Imò hoc eſt ridere, & verum dicere, exemplo nimirum Horatiano. Secundas litteras *THENAS* tranſmittam, quamvis exiſtimem hac in parte honeſtis

auribus

auribus ſatisfactum eſſe; imò veritati: ſi uberior ſim, modum fortaſſis excedam. Sed hæc mihi jam libertas quoque adempta eſt, editione à Conſilio conceſsâ. Valè, valeant, imò convaleſcant Pater & Frater. Lovanii, In Arce, XIII. Kal. Januar. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

UT ex animi ſententia novum iſtum, qui inſtat, trecentorum ſexaginta ſex dierum circulum abſolvas: toto illo tempore extra morbum, dolorem, omnemque animi corporiſque nubem, Optimum, Patrem Matrem, tuos & tuas videas, ab hoc velut Principio omnes longævos. Annus quia Bissextilis, bis fortunatus ſit, & ſuâ in ſe tandem felicitate recurrat, uno auctior die, ut totum nonniſi diem, & intercalarem arbitremur. Expende, quæſo, quid cauſſę ſit, cur non ad finem Decemb. hic dies adjiciatur, ſed Februarium augeat, imò cur poſt ſeptimum Kalendar. Martii inſeratur. Res myſterio plena eſt, & examine digniſſima, quid ſi verò diſſertatione explicetur? Si annuis, ad te erit dirigenda, ut ſub tuo no-

mine, quod multi ignorant, omnes legant, vel omnes, ſi auſim dicere, quod multi. Sed heus, non te video accepiſſe epiſtolam meam, quam ad Legatum poſtea ſcripſeram. An accuſare fidem tabellariorum debeo? Solent illi per feſta nimis aut otioſi, aut negotioſi eſſe, verbo dicam, negligentes. Ad te quoque ſcribere non deſtiti, litteras tuas, & illas D. Decani accepi; omnia igitur bene ſe habebunt. Vale, iterumque ſalve. Feſtinavi, Lovanii, in Arce, prid. Kal. anni novi ꝏ. I Ↄ C. XXXVI. quem denuò felicem, fauſtum, fortunatumque voveo.

EPISTOLA XVIII.

Bruxellam.

AD humaniſſimas tuas heri, quantùm anguſtia temporis paſſa eſt, reſpondi. Ego verò judicii tui ſuavem acrimoniam, ut amo, ſic ſuſpicio: ideoque conſilium libens amplector. Gratius enim æqualiuſque munus Ordinibus erit, ſi ſemel & ſimul detur. Tria, ut dixi, exemplaria, ſed ornatiora ad honorem muneris facient. Bibliopegus ſtrenuè hîc occupatur. Sed onus totum non à tabellario, ſed

ſed ab uxore mea accipies; quæ cum filia EUGENIA cras BRUXELLAM, & inde ANTVERPIAM profecturà. Voluiſſem ipſe: ſed valetudo intercedit, non mala quidem, ſed nec bona. Vitia hæc ætatis ſunt, quę cùm mala eſſe incipit, reliqua omnia vitæ bona infringit. Deſiderabam hoc tempore JUSTI mei operam: tu mihi JUSTUS, imò tu filius eris, & oſtendes, quàm me Litterarum cauſsâ ames: Litteras meâ. Scripſi verò hanc de Obſidione non Urbis, ſed Urbium Hiſtoriam. Hoc nunc agemus, ut exemplaria diſtribuantur. Vale, & me amare perge. Doctiſſimum Clariſſimumque D. HELMONTIUM ſtrictè meo nomine complectere. Amo ac ſuſpicio Virum. Iterum Vale. Lovanii in Arce, v. Eid. Mart. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XIX.

Bruxellam.

QUotidie me tibi obſtringis, & litteris, & officiis, ab ipſo humanitatis genio profectis. Omnibus quomodò par ero? Si permittis, ut agnoſcendo gratus ſim, faxo intelligant omnes, tuorum me beneficiorum nexu

nexu teneri. Merus amor, meruſque candor es. Tam officioſè, tam ſedulò te agere, ut bene de rebus meis mereare! Sic ſcribis verò, quaſi beneficium ipſe accipias. Perge nunc Amicus eſſe, & ſic Hiſtoriam diſtribue, ut ſæpiùs oblecter. Plura differo exemplaria mittere, ut ſciam quot præterea neceſſaria ſint. Non ad omnes ſcribo, ut tua epiſtola velut ſermo ſit, & cultum meum inſinuet. D. Biræum noſtrum animitùs complector. D. Vlemingio quomodò ſatis gratus ero? Hem D. Helmontio exemplar quoque debemus. Nunc vale, & me ama: ita enim rogare omnia videor. Lovanii, in Arce, xv. Kal. April. ∞. ɪↄc. xxxvi. Ad Ill.mum D. Præſidem ſcripſi, Hiſtoriamque miſi. Iterum vale.

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

Quomodò? Inquies: Vinea negata eſt, & tu ſalvus? Abſit verò ut me cruciem: negari poterat, fero quidquid evenit, æquo & vultu & animo: tu verò ſalutem mihi gratulare, heri, xii. Kal. Junii, horâ vi. veſperi

peri vivere cœpi, in lucrum quicquid ſupererit ætatis computaturus. Horreo dicere. Ex hortulo ſuperiori in atrium magnum inferebam gradum, & ecce, trabs putris, quæ canalem ſecundũ Bibliothecæ ſuſtinebat (plures enim ſunt) ſubitò ac maximo fragore rupta ac delapſa eſt, aditumque gravi caſu occupavit: pars minor, quantùm ſcire poſſum, ſed muro priùs illiſa, in me cecidit; caputque feriens & obtundens, ſenſum hebetavit. Dejectus igitur ſum, ictu uno, & velut percuſſus: ſed mox ad me rediens, & oculos aperiens, in ipſo video veſtigio meo trabem, & jam limen occupantem, juxta, partes, quæ diſſilierant. Surgo igitur, cùm ſimul accurentes domeſtici me erigerent, atque complecterentur. Viſus mihi ſum è ſomno exſurgere. Caput quomodò percuſſum fuerit, neſcio: dolor diuturnus nõ fuit. In vertice vibex magis, quàm vulnus erat, rubor magis, quàm tumor: erant hoc tempore in atrio Amici duo, qui viſendi mei cauſsâ venerant. Hi exclamare, & poſtea mirari, ſalvum me eſſe. Sum verò, & ſic jam vivo, quamvis nube, neſcio quâ, gravatus adhuc, & reliquiis doloris. Evaneſcent illæ quoque, ac lætiorem me facient: an & cautiorem?

Quid

Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas.

LYRICUS arbore propemodùm oppreſſus, ad diras convertit ingenium: ego non poſſum niſi negligentiam eorum accuſare, qui computreſcere pleraque Arcis tecta ſiverunt. Nunc ſi per Quæſtorem licebit, luſtrari curabo contignationes atrii, præſertim Arcis, ut vitia emendentur, & ſecuri ſaltem ſimus. Sed de hac re ad Præfectos Ærarii ſcribam. Vale, & vive: ego enim, ut dixi, jam incipio. Deo, & bono meo genio gratia eſto. Lovanii, in Arce, non jam amœna dicam, ſed periculoſa. XI. Kal Junii, ∞. I Ↄ C. XXXVI.

EPISTOLA. XXI.

Bruxellam.

QUid ſcribam verò? Comitem WALTHERUM ZAPATAM non redire doleo. Sed fortaſſis NAMURCO in HISPANIAM litteras meas deſtinârit, Faſciculum enim miſeram, quem ſoror ejus D. VILLERVALLIA accepit; dubia tamen, an fratris reditum exſpectaret. Heri te litteris ad GOBERGERUM occupavi:

occupavi: id ſanè cùm pium negotium ſit, quomodò grave? Atque ego amicam viciſſim tibi operam debeo; quam vel neſcienti impendam, noli inquirere: mutus ſum. Sed profectò loquar, ubi tu nihil omnino audies. Nũc Optimum, nimisque in me humanum Parentem tuum ſalvere jubeo: cui cùm ſcribendo placeam, plures in poſterum litteras obtrudam. Videat ipſe ne frequentia imminuat pretium, quod ſolâ, ut opinor, raritate ſtetit. Sed ego negotiorum, quibus quotidie premitur, rationem habui: affectum autem meum, quoties ad te ſcriberẽ, videbar in parentem ſimul aperire. Ad ipſum igitur proximâ hebdomade: hic enim dies arbitrii mei non eſt: occupatur, finditur, eripitur. O me in otio negotioſum! Rurſus, ô me in negotio otioſum! BISSEXTUM tamen, quia promiſi, perſoluturus ſum; non libro, ſed libello. Si alibi, hîc pretium molem faciet, ne damnem, quæ aliquando de libris & libellis ſcripſi. Aliorum labores æſtimentur, ingenio ego fortaſſis parvus non ero. Conjungam quoque parva, & magna fient. Sed hæc nunc quoque epiſtola ſatis magna: paginam implet. Vale, & me loquentem ama: fratrem elegantiſſimi candoris Virum, Ærarii Gelrici Auditorem amiſi. Ad Legatum REGIS POLONIAE velim ſcribere:

bere: ſed ſi tu velis. Lovanii, in Arce amœna, an funeſtâ? Prid. Kal. Jun. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

VIdi, quæ controverſiam Leodienſem ſpectant; & hoc agi, ut componatur. Sed nónne eo nobis milite opùs, ſi in GALLIAM transferendum eſt bellum? Transferendum verò, ut ſciant hoſtes ſe vinci poſſe: Legio hinc Cantelmiana ARTESIAM versùs profecta eſt, veterana illa, ſed ſub novo Duce, neſcio quid Romani ſpirans. Unus Vir quanti eſt, quando ſe dignos plures invenit! Aio verò, CANTELMUM cum priſcis illis Heroïbus comparandum eſſe, formatum à Natura, ut totam Virtutem capiat. Hunc Amicum, familiarem, intimum habeo; qui tantùm tribuit litteris, ut ſine his invalida, imò prorſus fortuita putet arma eſſe. Quàm me verò amet, faxo pleniùs intelligas. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Jul. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA

EPISTOLA XXIII.

Bruxellam.

Tu me beare Litterarum officio pergis: tardior ego fui. Nuperæ illæ à Præfectis Sanctioris Ærarii miſſæ, Quæſtori Blylevio traditæ. Poſt interpellationem factam, reſpondit Bruxellam ſe ſcripſiſſe; exſpectare verò ut inde mittatur Backerius, Arcemque viſat. Hæ igitur novæ & moræ,& tricæ ſunt,ſed ferendę; id ago verò, ut extra periculum ruinæ collocer: curaturus interea, ut quæ minanturligna caſum, priuſquàm noceant, dejiciantur. Quædam ſoluta ſunt, ac pendent, quædam rupta, ac nutant; quædam carioſa, aut putria, & fatiſcunt. Inter hæc omnia quomodò ſecurus ſim? Ero autem, ne in me, ne in meos peccare videar. Princeps igitur jam ſeriò Galliam petit? Deus victoriam donet ut ad Pacem veniamus. Quid præterea ſcribam?De ſtudiis malim.In Tacito pergo,& bella turbaſque explico veteres, quibus & hodie cincti ſumus. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, iv. Non. Jul. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTO-

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

SCribendo profectò liberalis es, & ſuaviſſimo alloquio animum interdum languentem, interdum nauſeantem Puteani tui reficis ac ſerenas. Ultimus me faſciculus excitavit, ut exſpectem, quâ victoriâ Galli in Italia repreſſi ſint. Conditiones Capellae ſimul legi: ſpem quoque ad majores progreſſus extenſam. Dabit Deus ut hæc ad Pacem & tranquillitatem via ſit, & tandem aliquando in communem hoſtem arma convertamus. Ergóne ad me Illuſtriſſimus Zapata litteras? Veniant, deliciæ meæ erunt. Tuæ pariter, quoties venient. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, quę D. Backerium exſpectabit. Iterum vale ac Salve. Prid. Eid. Jul. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTO-

EPISTOLA XXV.

Braxellam.

AVidè exſpecto, ut intelligam, inter Decuriones te eſſe. Felix igitur hic dies ſit, & ſic familiæ toti lætus! Mihi & meæ! Dies XIX. Kalendarum Septembris & albo calculo notetur. Sed quid ais? CORBIAM quoque in poteſtatem noſtram ceſſiſſe? PERONA quia audebit reſiſtere, illuſtriorem victoriam faciet. Interim novum prælium, novum belli momentum eſt: ipſa etiam fuga hoſtium pro ſtrage; indicat, quid timere omnes debeant. Inter alios Duces noſtros conſiliis armiſque, & invicto animi robore ANDREAM CANTELMUM eminere, cum gaudio intelligimus. Hic ille vir eſt, qui litterarum quoque ſubſidiis militiam inſtruit, qui non minùs ingenio, quàm manu pugnat, ingentem animum admirabili prudentiâ regens. Mea ſic ſtudia complexus eſt, ut ſtrictiſſimâ familiaritate Amicus ſit; conſtituto ſibi ſymbolo, quod enſem librumque venuſtâ admodum copulâ repræſentans, ſolidum robur ſignificat. Verba ſunt: quis RESIS-

TET? Hac imagine ornatum nuper gutturnium argenteum, Clypei inſtar, ad me miſit, & teſtari amorem voluit. Quid videtur? Vale, & me Ama, hunc Virum, verè Heröem lauda. Lovanii, in Arce, XIX. Kal. Septemb. CIↃ. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXVI.

Bruxellam.

GAudeo igitur, imò lætor, te jam primo inter Nobiles Decurionis titulo præeſſe, interque Judices eminere. Spectabilis hæc in ipſo Reipublicæ tirocinio dignitas eſt: quæ cùm ab ipſo aliquandò Parente tuo, Viro ad exemplum prædicando, cum ſumma laude geſta ſit, novam à te lucem accipiet; & tu ab illa. Ecce jam in oculis eſſe hominum incipis, via ad nomen, & majorem honoris gradum aperitur. Oſtende, ut omnia dicam, te BLITTERSWYCKIUM eſſe, à natura totam virtutis indolem, ab inſtitutione ſcientiam, ab exemplo tuorum, fiduciam adferre. Et hic ſanè Magiſtratus eſt, teque in florida etiam ætate Virum oſtendet. Gaudeo, ut dixi, imò lætor, & FELICI-

TER

TER acclamo. Quid ſit VIRUM eſſe bonum, ſcis, quid CIVEM eſſe bonum, vides: utrumque exprime, & JUDEX bonus eris. Sed quorſum hæc ego? Exprimes, eris; quia honeſtum utili præferes. Sic vale, & cùm publicus jam ſis, me privatim magis ama. Salutem reddo Optimo Parenti, Hoſpiti, & peculiari nomine MEO D. VLEMINGIO. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXVII.

Bruxellam.

ETiam heſternas tuas, & quæ ROMA ſcribuntur, accepi. Sed ad Ampliſſimum D. MALINAEUM quomodo non ſcribam? Tardiùs, ſed non minori affectu hoc officium impleo. Unâ autem familiaritatis fiduciâ peccavi. De BISSEXTO ſimul ago: ſed mittere opus non erit. Vide etiam quàm ego quæ omnes agunt, parum ad me pertinere cogitem. Encœnia noſtra ſunt, & te, candidiſſimumque BIAEUM noſtrum evocare neglexi. Evoco igitur, & rogo veniatis, *etiam poſt feſtum*, ut Antiqui dicebant.

bant:

bant. Nónne tanti ſit, diem unum alterumque familiari ſermone, & ut noſtro, ſed priſco & proprio vocabulo utar, *Mallo* tranſigere? Græci *Sympoſium*, Latini, *Convivium*, nos, *Colloquium* vocamus: unde *Maltiit*, colloquii tempus. Omnia autem ſeria Majores noſtri inter epulas pertractabant: omnia, inquam, illa, quæ ſermone conſtant. Sed hoc age, ut intelligam te, alterumque te, mei cupidos eſſe. Litteras illas ad Quæſtorem mox miſſurus ſum. Vale, & Ampliſſimum D. Parentem tuum, item Clariſſimum D. VOLDERUM nomine meo complectere, nónne & D. BIAEUM? Is tu es, & ſic ad illum quoque ſcribo. ANDREAS meus vigorem paullatim recipiet: hi belli labores ſunt. Uxor mea & filiæ BUSIANAS invitârunt: earum ego ſimul fratrem. Lovanii, in Arce, VIII. Eid. Septemb. ∞. IↃC. XXXVI. De ſorore mea CHRISTINA à S. MICHAELE Carmelitiſſa an audiiſti? Corpus è ſepulchro, poſt ſeptennium, evectum integrum, floridumque. Ubi? CRACOVIAE. Memoria ejus non ſine opinione ſanctitatis eſt. Libellum quæro, cui titulus, IVO VILLIOMARUS adverſus ROBERTUM TITIUM, vide an iſtic reperiatur. Si occaſio, R. P. OTHONEM nomine meo ſaluta.

EPIST-

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

AMicorum Intime, an Encœnia me tenuerint? Certè ſcriptionis meæ intervallum fuit. Tu interim, & litteris tuis ſuaviſſimis, & novis lætiſſimis me exhilaras, imò beas. Dicam verò: BUSIANA junior hîc fuit cum fratre, & ROMULO TUNDIO: nónne tibi noto? Perfectum ille, ſive inſtrumento, ſive voce Muſicum exprimit, Vir ad omnem quoque humanitatem factus. Quidni verò meus? Etiam ad Muſicam me reducere potuit, & ſtudiorum, ut ſic dicam, amœnitatem. Typographus noſter COENENSTENIUS librum de BISSEXTO ſuſcepit: non poterit autem niſi proximâ hebdomade initium dare. Nunc igitur Præfatiuncula ſcribenda eſt, TIBI, & BIAEO noſtro. Aliquid autem de utriuſque Parente velim dicere. Vale, & D. CORTESIUM jam ſimul ſaluta. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Octob. ꝏ. IↃC. XXXVI. Ad D. LECONTEUM ipſum mox librum excuſum, cum gratiarum actione mittam: Centuriam ab Ampliſſimo MALINAEO exſpectabo. Sed Diplomate opùs non erit, conſenſu dumtaxat; Privilegium enim univerſale penes me eſt.

 EPIS-

igitur belli mala ſunt! Etiam chartæ penuria eſt. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Novemb. ∞. IϽC. XXXVI.

EPISTOLA XXX.

Bruxellam.

COarctantur magis magiſque diei ſpatia, & me quoque ad ſcribendi anguſtias cogunt. Poſt undecimam à meridie noctis horam exarare litteras ſoleo, & poſt diſſertationem, ut noſti, publicam; ſed hoc ipſo jam tempore tabellarii ſe accingunt. Mutanda igitur diei ratio fuit, ut ſuum calamus otium inveniret, & feſtinaret tamen. TACITUM publicè explico: hunc ecce interrumpo, ne ipſe tibi taceam. Sed ſuave mihi, à tuo colloquio ad Auditorium tranſire, ab epiſtola ad Lectionem. Unum incommodum tamen, reſponſa in poſterum diem neceſſariò differri; quia reddi mihi litteræ tuæ in via, vel eunti, vel redeunti ſolent. Pro libro, & verè SATYRA, gratiam habeo: item pro novis. Sed hæc in triſtiorem iterum fortunam inclinant. Quid ais verò? Ampliſſimum D. FANNIUM cum Uxore optima extinctum! Is ante pau-

culos dies hîc fuerat. Seniores iſti, junioribus locum faciunt; ut & tu aliquando ſuccedas: ita auguror. Vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Decemb. ∞. IↃ C. XXXVI.

BISSEXTI Specimen apud BIAEUM videbis.

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

VIx oculis utor, & quid mirum, me non ſcripſiſſe. Breviter nuper & non ſine labore ad integerrimum noſtrum BIAEUM, breviter etiam ad filium. Nova autem illa omnia, & quæ jam mittis, accepi, gratiamque dico. Novum beneficium erit, ſi hanc epiſtolam ſubitò D. MICHAELI DE SALAMANCA tradi curaveris: cui ego Viro & me, & ſtudia mea debere videor. Magis intelliges. Nunc vale, & me adhuc quaſi luſcum ama: nimirum Catarrhus in dexterum oculum incubit, & in illam capitis partem quæ nuper trabe afflicta fuit: ſed melius eſt. De publico rerum ſtatu, neſcio quid dicam: nunc blandiuntur fata, nunc minantur. Sed Deus è machina nos reſpiciet, nobis aderit, & felicitatem dabit, quæ pace & tranquillitate

quillitate continetur. Iterum vale, & Meus conſtanter eſſe perge. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Januarii, ∞. ƆƆC. XXXVI.

EPISTOLA XXXII.

Bruxellam.

GRatiſſimâ *ANDREÆ CANTELMI* familiaritate heri fruebar, Viri, ita me Deus, ad militiæ gloriam nati; in quo non minùs elegantias omnes, etiam curioſiſſimas, admireris. Publicum damnum ſit, ſi bellum noſtrum & Belgicum deſerat: & meum profectò privatum. Quàm ſuaviter interdum in tam boni Amici affectu & ſinu reſpirabam! Quàm alti ac generoſi ſermones ejus & tanquàm Sapientiæ Ore prolati! Nunc *BRUXELLAM* profectus eſt: & nónne affectu, cultu, ſalutatione tuâ honorandus? Oſtende quæſo, quanti etiam in Amicis meis me facias: imò oſtende te Amicum eſſe. Sed rectè à D. *EMANUELE GUSMANNO* liber de *BISSEXTO* Principi Cardinali detur. Ut excurram, & hoc ipſe fungar munere, conſtitutio coporis non ſinit.

DIORTHOSIS quàm publicè utilis ſit, omnes judicent: quàm curioſa *BISSEXTI* explicatio omnes Docti. Aliquot adhuc exemplaria curavi, ut & D. *EMANUELEM* venerer & D. *ROALESIUM*, Virum doctrinâ & ingenio admirandum, æſtimem. Ille inter paucos eſt, qui quidquid de *BISSEXTO* ſcribi poteſt, intelligit; & quicquid de die ac toto tempore. Ita vale, & eundem officioſiſſimè ſaluta. Lovanii, in Arce, III, Eid. Mart. CIↃ.IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

TE nunc magis amo, mi *BLITTERSWYCKI*, tam candidè mecum agentem: & conſilia tua laudo, meo etiam pectori commiſſa. Nobiliſſimi Parentis tui auctoritas prima eſt, & ſacroſancta apud te erit: non tantùm ille præſcribet, quæ Optima ſunt; ſed vel maximè intelliget, quæ præſcribenda. Accedo igitur, ac penitùs novam expendendam eſſe conditionem judico, priusquam vetus ac jam parta deſeratur. Socium Legationis ire, pulchrum eſt, & ad incrementum non prudentiæ tantùm, ſed fortunæ facit.

Gradus

Gradus ſic quoque ad altiorem gradum ſternitur:per ardua tamen, lubrica, & interdum incerta. Conſidera Aulam, in qua verſaberis: negotia, quæ tractanda erunt: Virum ipſum qui tractabit. Felix eris, ſi ille non infelix: & quomodocumque ages, πολύτροπος interim evades. Contra, domi eſſe, in Magiſtratu verſari, lites dirimere, Viri boni & Civis officium eſt. Ubi multùm peregrinatus fueris, ubi multùm hominum mores & Urbes videris, redire ad tuam, & ad te tandem voles, daturus Patriæ ingenium, quod vel ideò formatur. Vide etiam, an decorum ſit recedere à Munere, feliciter jam geri cœpto, & ad ſpes novas vota transferre. Si tam facile ſit, ad Rempublicam è peregrinatione, quàm ad Urbem & penates reverti; motum quieti prǽferam. Expendes verò, quam ſibi hîc utilitas, quam honeſtas partem depoſcat: voluptas enim ſeponenda eſt. Experieris quoque in motu, ſi hunc præferes, optandam quietem eſſe: in quiete autem, nunc fortaſſis motus magis allubeſcit. Quorſum iſta? An ut ſuadeam manendum eſſe? Imò non eſſe, ſi minoris iſta omnia, quæ dico, momenti ſunt, & graviori rationum ponderi cedunt. Et fortaſſis cedunt: ſed hîc omninò Prudentiſſimum Parentem, audies, quia Parentem, quia prudẽtiſſimũ. Rerum

rum præſentem ſtatum, & temporum ille inſpiciet, & cum futuro contendet. Sic vale, illum audi, ut me ames: me ama, ut illum audias. De reditu Principum, me, quæſo, ſubitò certiorem redde. Monitus veniam, te, & Optimum BIAEUM noſtrum, omneſque Amicos complectar. Iterum vale, & ſalve. Lovanii, in Arce, v. Kal. Maias, ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XXXIV.

Bruxellam.

NOvam in Magiſtratu Dignitatem tibi tuiſque gratulor: gradum, ut ſic dicam, ad ipſum Conſulatum. Ipſa attollet ætas honorem: Virtus enim jam matura eſt. Sed non ſatis eſt, bonum eſſe, niſi & cautus ſis. Malis etiam ex æquo & bono, quàm rigore juris ſtricti ſtatuere. Vide quæſo quid de hoc CICERO lib. I. *Officiorum*. Tu verò & primum, & ſecundum, & tertium tibi familiarem habe, & ad manum vel in ipſo Senatu. Nulla utilior lectio erit, nulla jucundior occupatio: Viri & Civis boni ſimulacrum invenies: ut privatim tibi, publicè omnibus rectè conſulas. Experire, quæſo. Nova quæ mittis, varia ſunt: gra-

ta omnia, quia nova. Nunc vale. An ergo *HESSELUS* meus venturus eſt? Hodie *IUSTUM* exſpécto. Lovanii, in Arce, IV. Non. Julias. ∞. I Ɔ C. XXXVII. Ampliſſimo D. Parenti tuo amorem & cultum.

EPISTLA XXXV.

Bruxellam.

IMaginem igitur meam accepi, & incomparabilem Artificis manum admiratus ſum, dignam elogio; quod, ubi veneris, daturus ſum, cum uberrima gratiarum actione. Sanè Venturum te, & cum candidiſſimo noſtro BIÆO, filius indicavit. Ego verò in Arcem vos voco, ut non amici tantùm, ſed & hoſpites ſitis; quos frugalitate noſtrâ cōtentos fore certò ſcio. Tota hîc jam anni amœnitas ridet, tota haurienda eſt, partim diurna, partim nocturna. Cogitate noctem tanquàm diem, canente *LUSCINIA*, eſſe; imò cogitate triſtem me fore niſi Arcem præ Urbe æſtimetis. Sic volo, ſic jubeo, venite. Ad Elegantiſſimum Collegam tuum *UFFELIUM*, quem toto complector animo, ſcripſi. Apollineis ejus litteris egregiè provocatus ſum; jam igitur filii, mei

mei familiaritatem intelligo. Sed mi *BLITTERSWICKI*, inter Amicos nómine Amice? Parvum hîc magnum eſt, nihil, ſatis: animus theſaurum facit. Vale, & me ama. Lovanii in Arce, VI. Kal. Maii, ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

ELogia *AUSTRIACORUM* expendi ſeriò, magiſque in hanc ſententiam pertractus ſum, ut exiſtimem à *PURPURA* abeundum non eſſe. Brevius certè nihil poteſt, & fortaſſis nec aptius. De Romanis adhuc ſpatium poſco, die Lunæ daturus epiſtolam quâ admirandus hic artifex commendetur. Carmen illud meum de hominis vita, Lapidi Mercuriali rectè inſcribatur. Sed hic lapis linearum gyro aptiſſimus ſit, ut paucos verſus recipiat, publicèque repræſentet. Cogitavi & de imagine mortis, quę tabulam ſepulchralem teneat, Epigrammate huic argumento apto implendam. Sed de hac re aliàs. Terræ motus ille extremæ *ITALIÆ* terribilis eſt. Hem, integras Urbes terræ hiatu & voragine

voragine abſorberi! Quid mortem homines in vivis timent? Vivi ſepeliuntur. Sunt funera priusquàm cadavera, atque ipſa in libitinam natura commutatur. Si quid diſtinctius, quæſo mox ſciam. *Hesselus* meus hîc mihi adfuit: Marchioni datas eſſe Litteras indicavit. Ecquid ſpei verò? Et hoc ſciam. Vale. Lovanii, in Arce, poſtrid. Non. Maii, ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

VErſus tuos accepi, elegantes & ingenioſos, triviali nequaquam monetâ cuſos. Et cur igitur Belgicam Muſam rejiciamus? Quia ita juſſeras, metrum expendi, tertiam auſus ſtropham ad cæterarum Legem revocare; quæ Catalectica eſt. In ultima, videbatur ſyllaba deſiderari, ſed quomodò verba præterirem, non quia tua damno, ſed ut mea examini exponam, Lituras addidi. Hiſce verò feſtis & feriis ipſe denuò Belgicus eſſe volui, nova Epigrammata ſcripſi, & annum quaſi complevi. Plena ſic igitur editio

tio eſſe poterit, & majorem ornatum mereri. Mihi certè vitio verti non debet vernaculus hic labor: omni linguæ Sapientiam patêre, etiam noſtra oſtendet. Si me amas, *D. UFFELIO* cauſſam *VINCENTII* mei etiam atque etiam commenda. Sanè ſcribere differo, ut gratiam mox agam potiùs, quàm ſuperfluum apud Amicum uſurpem officium, quod tuis rectiùs verbis, ac nullo negotio peragatur. Sciat interim *VINCENTIUS* meus, ſuis me rebus non defuiſſe. Vale, & viciſſim ſalutem omnibus à me redde. Deſcriptionem terræ motûs Italici, quemadmodùm cupiebas, mittere ad Collegium non potui. Amico cuidam meo legendam dederam: is ſuo; & ille alteri. Errat per manus charta, & in poteſtate mea eſſe deſiit. Aliàs igitur cautior ero, Lovanii, in Arce, VII. Kal. Jun. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

TUæ me litteræ vehementer recreant, quotidie novæ, ſemper tuæ, id eſt, amorem & officium ſpirantes. Elogium FERDINANDI-

NANDI ſic ſcripſi, ut quid ſcripſerim, ferè neſciam. Illud igitur ROMANORVM, deleatur; ut Rex intelligatur HVNGARIÆ. Expende, & de re tota, tanquàm tua ſit, ſtatue. Dolore maxillæ jam liberatus ſum, & quodammodò mihi redditus. Itaque non ſinam reliquam operam meam diutiùs deſiderari. Lauream FERDINANDI Cardinalis libenter vidi. De ſcriptione verò mea mox ſtatuam. AUDOMAROPOLIM liberatam eſſe, quando certò audiemus? Captivi noſtri trecenti in ſpeculam Urbis, illam Arci vicinam, compacti ſunt: qui ſi morbos evadant, felices in ipſa miſeria erunt. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, poſtrid. Non. Julii, ꝏ. I Ɔ C. XXXVIII. Hanc epiſtolam VINCENTIVS meus daturus eſt, cui ut faveas, rogo.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

NOn prorſus bonâ fide dolor receſſerat, rediit, ſed minùs feriens, faciliusque nunc tolerandus. Hæc conditio hominis eſt, aliquâ ſemper ſive animi ſive corporis cruce vexari. RVDOLPHI nunc Elogium examina, tu-

 umque

uinque cenſe. MATHIÆ & FERDINANDI II. Reliqua ſunt: quæ ſingula venient. Interea verò litteris adhuc tuis recreabor. IUSTUS meus convaluit. MAXIMILIANUS febri correptus, è caſtris ad nos rediit, Medici ope mox, ut ſpero, malum ſuperaturus. Pars etiam victoriæ CALLOENSIS fuit, atque adeò ſub CANTELMO. De filio ANDREA, qui ARIÆ, felicia quoque audio. Faxit Deus, ut ſtrage Galli ad pacem veniant, induciis Batavos includant! Vale, & quia ſpem feciſti, ad nos excurre. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Jul. ∞. IↃC. XXXVIII. Typographus noſter in POMPA PROSPHONETICA pergit, proximâ hebdomade ſubjecturus denuò prelo Epigrammata noſtra Belgica, toto anno plena. Sed heus orationum ille liber à D. HELMONTIO, an remittendus? Iterum vale, & ſaluta, quos Virtus & Eruditio caros nobis faciunt.

EPIST-

EPISTOLA XL.

Bruxellam.

MErebatur profectò faſciculus ille tuus extra ordinem & vel ſacro die mitti: quem tamen non licuit niſi profano ab aurigis nanciſci. Novum hoc jam, ac luculentiſſimum lætitiæ argumentum eſt; dignum certè novis ignibus illuſtrari: præſertim cùm hoſtes ubique conentur tenebras accumulare. Rumor victoriæ ad Urbem hanc noſtram die Saturni horâ tertiâ delatus, ab auctore fidem invênit. Is fuit Vauseulii noſtri frater, qui Antverpia huc hominem ſummâ feſtinatione expedivit. Tuæ vero litteræ plenum veritati pondus addidêre. Si me àmas, fac ut plenam rei narrationem quamprimùm habeam: calami enim hîc & typi certabunt. Vale, & novas à me litteras in craſtinum exſpecta: quibus breves aliquas ad Excellentiſſimum Zapatam, Magnum pacis publicæ Legatum adjungam. Nunc de iſto Mathiae Imperatoris Elogio decerne, & Elegantiſſimum Horickium ſalvere jube. Audeóne beneficium à te petere?

Debebo humanitati tuæ ſi D. LAZARO BONVICINIO genero, Imperatores iſtos HORICKII oſtenderis. Adhuc vale. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Jul. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLI

Bruxellam.

RELiquum nunc eſt, ut quia ego BRUXELLAM non ivi, tu ad nos. Sed fortaſſis cum Excellentiſſimo ZAPATA venies: quem ego Virum nobis divinitùs datum eſſe exiſtimo, ut audeamus felices eſſe, & in litteris porrò ingenium occupare. Sed an eodem ille itinere COLONIAM progreſſurus? Ego ſanè, niſi tibi hanc ſumeres provinciam, JUSTUM ei filium meum optarem comitem eſſe, gnarum iſtorum & hominum, & locorum; & ubi loquendum eſt, ore; ubi ſcribendum, calamo promptum exactumque. Optarem inquam; ſed ſi in idem mecum conſilium conſpiras. Tuum tamen eſſet, tanquàm ſocium ire: JUSTI, tanquàm miniſtrum, ſic verò nec honoris exſortem. Ecce quo me cogitationes vehant. Nunc FERDINANDI II. Elogium habe, ſatis, ut opinor, ad rem ſcriptum: quia novum penitùs

tùs tanquàm bonum mitto. Sic nunc igitur Horickium ſalvere jubeo : cui & primos Romanorum xii. libens daturus ſum. Vale, & fac ut quam primum te videam. Lovanii, in Arce, xii. Kal. Sextil. ꝏ. ıↄc. xxxviii.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

AD Ill.mum *SALAMANCAM* breves has mitto, ut quæ inter nos egimus, opportunè explices. Eſſe plures, qui à me expeditionem Calloënſem, atque adeò victoriarum Pentalpha deſcribi cupiant: me verò hîc Sereniſſimo Principi Cardinali placere malle, ac jubenti morem gerere: memorem nimirum Mandati in *HISPANIA* Regii : *Ne quis ſine Baſilico Decreto Publicam Hiſtoriam conſcribat.* De Epiſtolarum Centuria opportunum videri poteſt : atque ea jam parata, ut mox excudatur. Novum conflictum diſtinctiùs velim intelligere : quem ambiguæ nonnulli fortunæ tribuunt. Ad Genealogiam quod attinet, cauſſam non video, cur publicè videri non debeat : ideo Genealogia eſt, mihi verò in occaſionem ſimpliciſſimi Elogii valet. Qui-

cumque nobilis eſt, ſine pudore Nobilitatem ſuam poteſt profiteri: oſtendere Majores, per quos nobilis eſt; cùm nonnulli etiam ab hac laude alieni, Stemmatis tamen ſeriem producant. Ego obiter, ut unum laudem *BLITTERSVVYCKIUM*, plures bono ordine refero: qui ſinguli ſuo encomio digni ſunt quia *BLITTERSVVYCKY*. Vide, quæſo: *PUTEANOS* noſtros *BAMELRODIOS*, ab antiquo Patricios Venlonenſes, deſcripſi ipſe, nec in modeſtiam peccavi. Satis hoc: deſino, pagella impleta eſt. Vale, Lovanii, in Arce, prid. Kal. Sextil. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLIII.

Bruxellam.

DIſtuli reſponſum, ut à tabellario in *VINCENTIUM* noſtrum *VANDENDRIESCHIUM* quicquid hoc eſt oneris tranſferam. Faſciculus eſt, & præter folium *POMPÆ PROSPHONETICÆ*, Præfationem in libellum *DE OFFICIO IUDICIS*, in qua totũ tuum ſtemma, continetur, ſine invidia legendum. *Rem graviſſimam, Vir Nobilis & Amice, paucis deſignare paginis conatus ſum, Officiũ Iudicis brevi*

cis brevi Diſſertatione. Hac ne ſine tutela vagaretur tuum ecce Nomen recepit, Nomen, ſi privatas rationes inſpiciam, Amici, ſi publicas, Iudicis, & in numerum Scabinorum Bruxellenſium (quemadmodùm hoc vocabulum, imò hoc Munus ante tempora CAROLI MAGNI Theolimo obtinuit) allecti. Iam minori Magiſtratu egregiè perſunctus, majori te oſtenderas dignum eſſe. Secuta Principis Benignitas & Suffragia tribuum (quomodò non faventia?) Amabili Decreto aſtimavit. Tua te ferebant merita, Civium deſideria: tamq; ab ambitu alienus eras, quàm intelligeres arduum eſſe, Iudicis Perſonam ſuſtinere. Honorem mereri, ſummus honor eſt: quem generoſiùs etiam non accipias, quàm exſpectes. Sed vita noſtra, vita non eſt, ſi tantùm noſtra: omnium ſaluti ingenium debemus; ſatis nobis magni, opulenti, ſplendidi, ſi aliis utiles. Tuo utor exemplo, evectus es, non ut Reipublicæ tu incumberes, ſed ut tibi Reſpublica; ut fulcrum, non onus eſſes; erigeres ſi quid pronum labi, corrigeres ſi quid vel temporis, vel hominũ vitio florẽ ſuũ non ſervaret. Evectus inquã, es, & porrò evehendus: utrumq; quia bonus, ut ſimpliciter dicam, quia doctus, quia prudens es. Bonitas ab indole eſt, indoles à Nobilitate, & eâ quidẽ Equeſtri. Nobilitas per longã à Geldris, inclytamq; Majorum ſeriem naturâ ſuâ conſtans ſuã adhuc virtutẽ ſervat. Non poteſt enim à bona natura Virtus, à Virtute natu-

ra bona degenerare. Vide proſapiam totam, illam publicis tabulis nitentem: & ubique te invenies, ubique Simulacrum tui. Proximo quidem gradu Pater eſt, IUSTUS BLITTERSWYCKIUS, ſplendore Eques, Dignitate Conſiliarius, Regia Ærarii Sanctioris Iura pro Munere ſuo egregiè adminiſtrans, ac vindicans. Viſne majorem titulum? Integerrimus eſt, ac toto candore in officia Humanitatis effuſus, bonam famam, omni fortunæ præfert. Patri præluxêre Avus, Proavus, Abavus, Atavus, & reliqui longo ordine Progenitores, inter quos anno CC. XIX. Toparcha BLITTERSWYCKIUS, incertum quo nomine, reſplēduit. Partes eũ BURENSIS in publico adversùs Lindenſes diſſidio ſecutũ, ſatis conſtat. Anno deinde CC. XXIX. GVILIELMUS BLITTERSVVYCKIVS fœdere ac bello adversùs Stadenſes inter Viros Principes alioſq; Magnates non infimum locum obtinuit, quemadmodùm fideliter atque honorificè Familia Lindana Annales ac monumẽta teſtantur. Hujus deinde filius VVALRAVIUS: Nepos WALRAVIUS II. Pronepos, GUILIELMVS Abnepos GUILIELMUS III. Atnepos, WALRAVIUS III. ARNOLDUS, Aliiq; ad GUILIELMUM verò III, tanquàm ad communem originem proximè referũtur quotquot variis in locis BLITTERSVVYCKII floruerunt, Geldrii, Brabanti, Tranſmoſani, Burgundi. E VVALRAVIO autem III. Toparcha

parchæ BLITTERSVVYCKII, HORSTII, AFFERDENI, BECKII, HINDERENI; *qui in* Geldria *permanſêre. Ex* ARNOLDO(*qui circa Annum* ∞. ccc. xxx. *junctâ ſibi Conjuge* AIEIDE KESSELIA, *Equeſtris Nobilitatis Feminâ, Sedem Fortunarum in* Brabantiam, IOANNE III. *ibidem regnante, tranſtulit*) *Toparchæ ſunt Lackenſes proximâ proſapia Lineâ, ac luce Majores tui. Ex alio etiam ejuſdem* GUILIELMI III. *ſive filio, ſive nepote Toparchæ ſunt* MERII, PRINTAGENI, BOLLERII, *adhuc* BLITTERSVVYCKII & PASSARTII *cognominantur. Inter Sequanos, Barones, quoq;* MELISEII, *nec non Toparchæ* DE GOULAN, *ac* DE LA ROCHE, BLITTERSVVYCKII *ſunt, qui ante annos* cc. *Equites fuêre* S. GEORGII, *magno Nobilitatis argumento, cùm in Comitiis* Rougemontanis *in hunc ordinem nemo, niſi octonis ſtipatus Inſignium Luminibus adſciſcatur.* BLITTERSVVYCKII *inquam, ſunt, & ſe eſſe gloriantur, eodem in* Burgundiam *tempore quo Tritavi tui Proavum* ARNOLDUM Brabantia *excepit, tranſlati. Familia unius quadripartitum, ſic quidem ſtemma eſt: diviſo quaſi agmine Viri & bello & pace clari, titulis & functionibus inclyti, in Aula, Republica, Eccleſia Egregii, Illuſtres, Venerabiles, verbo abſolvam,* BLITTERSVVYCKII. *Sed* LÆCKENSES BRUXELLÆ *præter alios honores, non uno titulo Magiſtratũ geſſêre, nunc Conſules, nunc ſepteviri, nunc*

Theſaurarii, quæ Curiæ Dignitates à Tritavi tui Patre GUILIELMO, HENRICI *Filio*, ARNOLDI *nepote, felix principium habuêre, cùm in matrimonium ille ſibi* MARGAR. Caudenbergiam *agnomine* TSERHUYCSIAM (*quaſi ex Heroë* HUGONE) *adſciviſſet, una enim hæc è ſeptem primis* Nobilibus *&* Briginariis, *Patriciorum familia eſt, Nuptiarum prærogativâ etiam per fæminas in viros ſolitis ſeptem viratus, & reliqui Magiſtratus jura tranſferre. Fuerunt igitur Majores tui quod nunc es, & quod ante annos viginti eſſe Pater tuus poterat, oblatum niſi ultrò Munus, Majoribus intentus negotiis, recuſaſſet. Sanguinem vides, & nónne ſentis?* Hæc *bonitas tua eſt: cui felici viâ Doctrina acceſſit, illa litterarum elegantiis florida, & ſcientiarum ſubſidiis robuſta. Quia Suadæ, Sophiæ, Themidiq́ue admiſit fiduciam, deſpicit quæ in vita vilia ſunt, negligit quæ privata, odit quæ inhoneſta. Acceſſit præterea* Prudentia, *quæ propriè tamen ſenectutis eſt, & tuam hanc ætatem, adhuc juvenilem ſuo quodam lumine comitatur. Alii tempore, tu ingenio maturus, vernum eſſe fructum facis: ad ſummam, mores video in annos computari. Bonitate igitur, Doctrinâ,* Prudentiâ, *Officium* Iudicis *quomodò non impleas?* Ego *tamen quæ de Officio* Iudicis *ſcripſi, mittere ad te, quia ad Amicum volui; quia ad* Iudicem, *debui, ut de affectu meo, & ſimul conatu pronunciares. Sed jam te no-*

lo

Digitized by Google

lo Amicum eſſe, ut Iudex ſis, Iudicem eſſe volo, ut Amicus ſis. Pergit interim Typographus in Epigrammatis Belgicis, quæ in Encœnia Lovanienſia parata erunt. Ad Illuſtriſſimum *SAMANCAM* ſic profectò χαλῶς. Quid enim prætereà addam? Vale, & me amare perge, qui te æternùm. *CNOBBARUS* ſtrenuè in epiſtolis pergit, atque unum ſcriptis meis prælum deſtinavit. Vale, & adhuc *VANDENDRIESCHIUM* commendatum habe. Lovanii, in Arce, Nonis Sextilis, ∞. ıↄc. xxxviii. Reliqua Elogia exſpectabo.

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

CItiùs ad me litteras Legati D. Avunculus miſit tuus, quàm tuas ego à tabellario acciperem: Schedæ tamen Colonienſis paullò poſt gerulus Iustus meus fuit. Faxit Deus, ut quemadmodùm feliciter Ferialis noſter Orator Coloniam Ubiorum pervênit; ita in pace componenda verſetur, proſcriptis cum bello tot malis, quibus Res Chriſtiana perit. Annotationes illæ amœnæ, quibus Mercurius Gallicus inſignitur,

titulum

titulum ſuum egregiè ſuſtinent: tam pallidæ tamen interiore folii parte, ut oculos legentis crucient. Melioribus typis, chartâ, atramento res tam lepida digna erat. Vide, quæſo, an nitidius ſaltem haberi Exemplar queat. Illa Romana, Gallicè expreſſa, genium gentis repræſentant. Quantò laudabilius quæ eveniunt, ſine fuco ac fallacia narrare! Si tantillùm otii ſupereſt, faſciculum hunc novo Senatori LAURINO per famulum mitte. Hic ille vir eſt, cujus genium ſi noveris, ames & æſtimes; noveris autem, ſi in ſermonem litterarum mearum occaſione venias. Neminem aliquando æquè familiarem inter ſtudiorum Congerrones habui: nullius ingenium æquè placebat. Deus illum nobis dedit, ut in Arcana Curia verum & Amicum, & patronum habeamus. Præſidi carum eſſe, ſcire potes. Vale. Heri Stemma miſi. Lovanii, in Arce, poſtrid. Non. Sextil. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

Mihi cum dentibus iterum negotium erat, ne mireris interquieviſſe ſcribendi officium

officium jam verò breviter comprehendo quæ dilata. Rectè igitur monebas, in PURPURA reliqua Elogia legi. Sed HORICKIO placêre porrò cupio. PHILIPPUM cupit IV. Fratremque FERDINANDUM? Pari, ut opinor, cum reliquis magnitudine habebit. Epiſtolam hîc D. SALAMANCAE remitto. Excellentiſſimum Legatum ZAPATAM feliciter perveniſſe ego & tota familia gaudemus: ad quem & ipſe ſcripturus ſum. Regina Mater huc venit, hinc abiit, & ſic dixi omnia. Nihil enim peculiare: venit, veſperi, abiit manè. Egóne HUARTIUM quidem noſtrum videre potui, virum in gente ſua omnino bonum, & mei perſtudioſum. Quem ſalutatum circa Nonam horam ibam, jam iter habebat. Litteris igitur faciam, quod verbis negatum eſt, ſi occaſionem ſors dederit. Vale, Amicos ſalvere jubeo. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Sextil. ∞. IↃC. XXXVIII.
In HISPANIAM mittere litteras velim: quæſo quæ occaſio erit, & quando?

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

FAſciculum tuum accepi, meum tibi VAN-DENDRIESCHIUS noſter reddiderit, Vir meliori certè fortunâ dignus. Utinam ſuccedat negotium venationis, tractari nuper cœptum! Interea verò transferre LOVANIUM familiam ſtatuit, minori hîc ſumptu alendam, majori quiete. Hodie Magiſtratus hîc mutatur: quid BRUXELLAE? De te, ſcire exopto. Sed Illuſtriſſimum SALAMANCAM ęgrotare tam mihi ægre eſt, ut ipſemet teneri morbo videar. Deus illum nobis incolumem præſtet Delicium, Decus, & præſidium noſtrum! Pro quo vota concipimus: quemadmodum & pro Marchione MIRABELLIO. Nos in Arce nunc valemus, cùm extra Arcem plurimi febribus æſtuent, anno in Autumnum præcipiti. De Reginæ itinere quid dicam? Omnia præter opinionem. Sed iſta ſepono. BEATUM RHENANUM hactenus quæro, de Antiquitate & Rebus GERMANIAE: ut mei in occaſione memor ſis, rogo. Filio injunxi, ut ſchedas ad

ad me miſſas D. Avunculo tuo exhiberet. Typographus in Gnomis feſtinat, ſed lentè: atque interim POMPA hęret. Te & Amiciſſimum BIAEUM noſtrum in Encœniis noſtris complecti cupio: cur non & præſtantiſſimum UFFELIUM? Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLVII.

Bruxellam.

UTerque ſiluimus: ſed tuis ego curis, tu meis culpam imputabis. In Munere verò alius es; an idem? An extra Munus? Omnia eodem habenda animo: qui tranquillus, omnia in ſe habet. Ab ampliſſimo LAURINO reſponſum accepi amicum ſanè, & ingenii, elegantiæ ac prudentiæ plenum. Tanquàm ad antiquam familiaritatem redeat, laxat amœnitatem pectoris, & adhuc oſtendit, ſibi in deliciis litteras eſſe, eſſe homines, qui in litteris vivunt. Audiviſti Virũ: & nónne audire ex intervallo velis? Non minùs tuo ille favebit genio, quàm meum olim amavit, ut amaret ſemper: humanior etiam, quò major.

jor. Sed coràm plura. Venientem te ad Encœnia complectar. Meàsne illas à VANDENDRIESCHIO, an poſteà accepiſti? Solicitus ſũs ne ſim, verbulum unicum tuum, alterumque efficiet. Amici quoque quomodò valent? Tu vale, & me ama. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Septemb. ꝏ. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

ENcœnia tandem noſtra exſpirârunt: ego, an fuerint, propemodum neſcio, alienus à conviviis, quæ una maximè hoc tempore celebrantur. Noſtram nos in Arce Rempublicam facimus, inter nos & cum familiaribus Amicis lætitiam tractamus, ſed ſobriam, tui memores, maximè læti ſumus, id eſt tui, quemadmodùm bona amicitia bonos conjungit. D. MICHAELEM SALAMANCAM convaleſcere, vehementer gaudeo, Virum & Litteris, & nobis neceſſarium, & in meliorem ſe vertentibus ſtatum rebus. In hac Urbe multùm quoque morborum eſt: parum tamen funerum. Uxorem febricula etiam nudius tertius invaſit; abiiſſe

videbatur,

videbatur, rediit, & adhuc minatur. Pharmaca opponenda erant, & bonus ante omnia animus, quo vincuntur omnia. Hunc quoque ſumet BIAEUS noſter ut mortem VLEMINGII ſui, Viri longiore vitâ digni, moderatè ferat. Centuria quarta jam ANTVERPIAM miſſa: epiſtola verò ad Ampliſſimum Parentem de JOMMIO mutata. Hîc typographus noſter ad prælium rediit, prælum dicere volui; ab Encœniis ad typos: in Epigrammatis & POMPA pergit. Tu vale, & me amare perge. Faſciculum Litterarum ultimum accepi, in quo HUGENIANUM erat Epigramma. Lovanii, in Arce, Eidibus Septemb. CIƆ.IƆC.XXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

SIlentium tuum, nónne bonæ fortunæ indicium? Faxit Deus! Ecce, tuas exſpecto: has meas commendo, ut nomine meo conſignatas dominæ Comitiſſæ De TASSIS velis, in ITALIAM mittendas. Ad Amicum veterem, & Belgam ſcribo REINALDUM HAESTIUM, opportunum mihi rebus de-

inceps iſthic meis curandis. Amiculos omnes ſalvere jubeo, & tu ſalve. Febris hanc etiam Urbem divexat, in Arcem aſcendit, Conjugem meam inuaſit: Tertiana, inquam, atque jam poſt quartum paroxyſmum mitior. Cùm altera igitur pars mei ægrotet, ipſe quomodò valeam? Sed quæ à Deo ſunt, æquo omnino animo ferenda. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Octob. cIↄ. IↄC. XXXVIII.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

OTioſus quodammodò fui, ſcribendi tamen officium intermiſi. Nimirum anxium me Uxoris valetudo habuit, ſed in meliorem jam ſtatum verſa. Poſt febrim, reliquiæ adhuc febris ſunt, ac videntur & hæ quotidie imminui, quaſi poſt tempeſtatem nubes. Multis ſic quidem hic Autumnus gravis eſt, paucos (in hac quidem Urbe) tollit. Tu & tui quomodò valetis? Cardinalis noſtri Elogium mox dabo, ut æſtimare HORICKII Artem magis magisque videar. Plaſten tuum non minori affectu proſequor, qui ſi vivos vultus tam felici manu moliecur, præcipuam Picturæ

Picturæ laudem ad ſe trahet. Aliàs monui, & jam ſeriò inculco, ut novam hanc ſibi ad lucrum & nomen viam aperiat. Gallos in HISPANIA profligatos eſſe, CHIFFLETIus ad me ſcripſit: à te, quæ præterea ad hanc Victoriam faciunt, libenter intelligam. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Octob. ∞. IϽC. XXXVIII.

EPISTOLA LI.

Bruxellam.

MInorem ecce inſtruxi formâ chartam, ut breviores deinceps epiſtolas ſcriberem, & pagellâ ſaltem unâ laconiſſarem. Amor ipſe quando aliquid ſpartæ habet, virilis eſt. Sic meus: tuum licet ubertate veſtias, vel coloribus exornes, vel varietate circumducas; cùm ingenioſus erit, à candore non recedet. Altera pars mei lentè vires recuperat, media, ut ſic dicam, ſanitatis & morbi. Adeóne graviter verò Optimum *VOLDERUM* decumbere! Servet nobis Virum Deus, ac velit diurnare! *HORICKIO* noſtro tempeſtivè ſatisfaciam. Hactenus certè curæ domeſticæ non permisêre: & tamen in Academiæ gratiam (rogatus enim fuit) novæ & publicæ Bibliothe-

cæ Encomium conſcripſi, fortaſſis à *IUSTO* meo in Auditorio Trilingui recitandum. Epiſtolam Excellentiſſimi *ZAPATÆ* remitto: ad quem ſine dilatione ſcripturus ſum. Vale, & me ama, Amicos ſaluta. Lovanii, in Arce, poſtrid. Kal. Octob. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LII.

Bruxellam.

FAciliùs jam ſcribo litteras, quàm mitto. Quomodo! Inquies: famulus meus febri correptus, totam videtur hiemis ignaviam ſuſtinere, rigens & frigens quoties ad tabellarium eundum eſt. Nunc, ſi tanti eſt, lege quod nudiusſextus expreſſeram calamo, & ſilentium meum ſilentii culpâ libera. Ergóne candidiſſimæ mentis VOLDERUM exſpiraſſe! Doleo mi BLEYTERSWYCKI, & ingemiſco. Nónne, cũ tot mali ac perverſi homines ſint, hos potiùs rapere Libitina poterat? Aliter Deo omnia temperanti viſum. Nos quidem in eadem via ſumus, quamvis valeamus, & ad eandem metam properamus. Dum vita eſt, vivendum eſt; quæ longa ſatis erit, ſi rectè occupabitur. Sic me equidem compone

no, ſic ultimam quamque lucem tanquàm non redituram tranſigo, tantò alacrior in ſtudiis, quantò minùs quotidie ſupereſſe Spatii, intelligo. Satis hæc jam, plenius reſponſum die Saturni daturus: litteras ſimul ad Heroëm noſtrum ZAPATAM. Uxor mea morbum adhuc trahit. Tu vale. Lovanii, in Arce, Nonis Octob. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LIII.

Bruxellam.

BEnignè mecum agis, qui elegantiſſimas ad te epiſtolas Heroïs noſtri, legi etiam à me cupis. Epiſtolas, an delicias dicam? Sed die Saturni eas recipies. Nunc ad ipſū & ego, ſcribo, longiores, quarum propterea nunc facere exemplar non licet: hora inſtat, qua tabellarius abiturus. JUSTUS meus hodie MECHLINIAM equo profectus eſt; famulus adhuc febricitat; qui etiam ſanus, ſcriptioni ineptus. Te rogo, ut ſi tāti eſt, velis Exemplar curare. Ipſam verò epiſtolam meam obſigna, & per aliquem ex famulis mitte, ac libertati meæ ignoſce: nec plura jam addo. Ad Magnum quia ſcribo, redire ad majo-

 rem

rem papyrum debui: majore ſic etiam involvi debuit, & major eſſe, quæ ad te mittere tur. Charta, inquam, magna eſt, epiſtola parva; atque interim paginam quaſi implet. Vale, & longiorem exſpecta. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Octob. ∞. IↃC. XXXVIII.
De ſtatu Uxoris meæ, & quid agam, in Litteris ad Heroëm leges. Exiſtima verò ad te quoque dirigi. Iterum vale, & amicos ſaluta.

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

BEnigno vultu & affatu hunc Virum dignare, & puta PUTEANUM ad te venire. Affinis meus eſt, Vir affectu tuo dignus, & eorum omnium, qui candorem, probitatem, atq; etiam doctrinam amant. Miraberis, quàm iniqua & violẽta ab hoſtibus paſſus ſit, & quomodò etiam inter amicos periclitetur. Ego fidem publicam, ipſamq; in hoc Viro Juſtitiam Regiam læſam puto. Explicabit ipſe fortunam ſuam, & ſimul patientiam; majorem enim damno animum habet. Explicabit innocentiam ſuam, & hujus fiduciâ animoſus eſt. Audi loquentem, ac deinde etiam conſilio

tuo

tuo juva: totum enim hoc in me redundabit. Adhuc te rogo, ut, ſi me amas, omnia humanitatis officia huic affini meo exhibeas: jam enim glorioſus ſũ, non tantùm quia à te amor, ſed quia ille ſciet quantùm à te amer, & quos præterea Amicos habeam. Lovanii, in Arce, ſubitò. xx. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXXVIII

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

DE ſilentio meo ne ſeverè ſtatuas, rogo: tuo tam libenter ignoſco, quàm ipſas ſemper avidè exſpecto litteras, & lego. Nova utinam petitio tua felicem ſortita ſit eventum, vel ſortiatur! Catalogum Bibliothecæ Volderianæ jam acceperam, luculentæ ſanè: recreabar libris, contriſtabar in morte tam boni Viri, & Amici. *Hæc cernitur Deorum iniquitas, quòd optimum quemq; non ſinant inter nos diurnare.* Optimæ Viduæ gratiam debeo: quæ mei memor fuit. Ignorabam ſanè, cui hoc beneficium deberem. Nunc igitur paucos hîc ſubnoto libros, quos meos facere velim, te adnitente, etiam pleno pretio, certè ſtudia mea juveris, & aliquid ſimul ornamen-

ti Bibliotheca mea accipiet. HORICKIO haćtenus reliqua miſſa non eſſe Elogia, equidem doleo. Hæc curarum pertinacia fuit, quibus vim jam illaturus ſum. Pro novis gratiam ſcribo. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII. Libros commendo.

EPISTOLA LVI.

Bruxellam.

HEri obiter ſcripſi: hîc nunc Elogium ALBERTI vides. Sed an ad guſtum? Quæ de Principibus ſcribuntur, graviore judicio expendenda ſunt. Quid ſi igitur Prudentiſſimum Parentem tuum adhibeas? Quem ego Virum, quemadmodùm tu amas, ego æſtimo ac veneror. Audebóne eúdem in negotio communis Patriæ interpellare? Ordines GELDRIÆ Oratores ſuos BRUXELLAM miſêre, acturos apud Principem Præſidemq; de creatione Magiſtratuum: an hi deinceps perpetui, an annui futuri ſint. Perpetui hactenus, & ex privilegio conſtanter fuêre: annuos jubet Princeps eſſe: quæ res, magnas incipit turbas excitare. Ego te per amicitiam noſtram

noſtram rogo, ut audire hoſce Oratores velis, meo adeò nomine, ac deinceps cauſſam ad Parentem deferre. Scripturus eram ad Pręſidem, ſed differo, donec aliquid à te reſponſi habeam. Toparcha HILLENRADIUS ex Equeſtri Ordine eſt, ac Nobilitatem Geldricam repræſentat: reliqui quatuor, Urbes; duo è Magiſtratu Ruræmundenſi, duo è Venlonenſi. Hi etiam mihi propinqui, BERINGIUS, & INGENRADIUS: ut eos meo nomine ſalutare velis, rogo. Sciant etiam BLITTERSWYCKIOS PUTEANO Amicos eſſe: imò ſciant, hæc ſtudia, quæ tracto, publico Patriæ affectu digna eſſe. Remitto folium, quo frontiſpicium Aulæ exprimetur, ut videas Diſtichon Romanis poſſe litteris ſcribi. De itinere CANTILMI nihil adhuc certi habere potui: nihil enim ipſe adhuc ſtatuit. Hem BIÆUM noſtrum hoc ſciſcitari? Seriò igitur hodie inquiram, cras ſcripturus. Ita vale, & communem Amicum à me complectere. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Jan. ꝏ. I Ↄ C. XXXIX. Heri an annum jam mortuum notavi? Cogita feſtinationis vitium eſſe.

EPISTOLA LVII.

Bruxellam.

QUid ſerii diebus hiſce ἐπαγμέναις? Conviviis, tripudiiſque perſtrepunt omnia: adeò quidem, ut inſanire videatur, ſi quis non inſaniat. Scribo tamen, quæ ſileri diutiùs non debebant, tabellario præſertim hodie abeunte. PHILIPPUS III. proprio & peculiari titulo ſcribi poſſit: *ad Pietatem natus, magno exemplo &c.* breviter quidem, ſed aptè, ſi reliqua inſpicias. Sit verò PHILIPPUS IV. *hoſtibus omnibus rebellibusq; major. Major* inquã, *eſt: & viribus cùm poſſit vincere, &c.* Stemmatum Romanorum Iconiſmi à SILVESTRO PETRA-SANCTA ſunt, novi, ac neſcio an editi: quos ſe miſſurum Auctor pollicitus eſt. Quo omnino ſit liber titulo, non ſat ſcio: ſed argumentum puto Symbolis expreſſum. Ubi accepero, transferri ad te ſinã; ne ampliùs ſolicitus ſis. Sic ſtatue quod meum eſt, tuum eſſe: Ego enim totus, & ex aſſe tuus ſum. Novum utriusque, imò & tertiæ Centuriæ Epiſtolicæ Exemplar paratum eſt, ut à me accipias. Quid ſi præſens? Nihil certè mihi ſuavius

ſius erit. Vale Lovanii, in Arce, poſtrid. Non. Mart. ∞. IↃC. XXXIX. RANICLIS, aptum ſanè ingenioſę oblectationi argumentum ſerias facere ipſas ἐπαγμένας potuit: Fabulam in ipſo KRUILIO legeram: cujus opera filiæ meæ habent. Iterum vale, iterumque ſalve.

EPISTOLA LVIII.

Bruxellam.

CAlamum per hos aliquot dies continui, ſed neſcio quibus negotiis impeditus. Tam facilè errori meo ignoſces, quàm libenter omnia amori tribues. Nunc SALAMANCA in Arce nobiſcum eſt, & nos humanitate ſuâ beat. Tu quando excurres? Ecce lite ab eo litteræ ſunt, quas ad te mitto, ut ſubitò deſtinentur. Meas adjungo ad ingenioſiſſimum UFFELIUM noſtrum, qui Carmine gemino, Latino & Belgico in admirationem me dedit. Vale, & me amare perge. Sed Artifex, an CANTELMI vultum tentabit? Si res ſuccedat ad ingens ille lucrum viam ſibi aperiet. Iterum vale, & ſalve. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. April. ∞. IↃC. XXXIX. Elegantiſſimum D. BIÆUM noſtrum ſimul ſalvere jubeo.

EPI-

EPISTOLA LIX.

Bruxellam.

Litteras ecce Illuſtriſſimi Legati *LOVVZOVVY* remitto, amicè & officioſiſſimè penitùs ſcriptas. Si reſponderis, ſalutem & obſequium à me adde. Super effigie *CANTELMI* etiam Generum meum interpellavi. Opportuna autem hæc mihi jam tempora videntur: occupanda dum licet, & belli ratio in ambiguo eſt. Et quod luculentius ſpecimen? Unus ille, peritè expreſſus, multorum magnorumque excitabit deſiderium; & facient ſtatuæ, quod hactenus picturæ: unus etiam Artifex ille, quod multi. Sed humanitatis delicium *SALAMANCAM* quando viſes? Dies ipſi invitant, blandi, & temperie ſuâ amœni. *LANGRENUM* unà venire velim, & inſtrumenta horis delineandis idonea conferre; quæ pauca admodum ſunt, & ſine onere. Hactenus neſcio quomodò hoc ornamento Arx noſtra caruerit. Familiarior nobis Sol erit, quando aptis diſtinctisque umbris partes diei ac lucis repræſentabit. Neſcio an amœniores lineæ ſint. Vale.

& perge Genero meo *BONVICINIO* familiaris eſſe. Quartam è novo apparatu Centuriam mox miſſurus ſum. Iterum vale, & ſalve, mêque amare perge. Lovanii, in Arce, prid. Kal. April. ∞. ıↄc. xxxix.

EPISTOLA LX.

Bruxellam.

PErgis me beare ſuaviſſimis litteris tuis, & officiis: quamvis negotiis, imò curis diſtrictus. Bene eſt: convivium quoque video, cui intereſſe nonne quoque videor? Ubi *LANGRENUS* eſt, non poteſt non *PUTEANUS* eſſe: minùs etiam à *BLITTERSVVYCKIO* ſuo ſeparatus. Animo adfui, ac deliciarum omnium particeps fui, in loco lecto, inter convivas ſelectos, apparatu fruens non neglecto: quæ perfecti convivii conditiones ſunt. Avidè ſcire expeto, quid de *CAMPANELLÆ* admiranda obſervatione ille Amicus noſter. Hem, aliquid etiam librorum tibi è *COBERGIANIS*? Multi bonæ notæ erant, atque ego pauculos emi mihi curaveram: quo èventu neſcio. Italicorum tuorum Index me, ubi venerit, recreabit. Vale; & me ama. *D. MICHA-*

Michaeli mox officia tua deferam. Lovanii, in Arce, xvı. Kal. Maii, ∞. ıↄↄ. xxxıx.

EPISTOLA LXII.

Bruxellam.

Regem te eſſe oportuit, qui totus mihi videris ad liberalitatem factus. Itáne pauci hi libri ſunt, aut tam viles, ut facilè in munus abire patiare? Utar ſanè humanitate tuâ, non abutar, & quemadmodûm Bibliothecam augeri meam velim, ita tuam nolim imminui. ſi hoſtimentum admittis, aliquos è libris, Indice notatis, accipiam. Reliqui mei erunt, ſi apud te manſuri ſunt: quemadmodûm tui ſemper, quos voles meos eſſe. Sanè nonnullos vel habeo, vel habere poſſum, nonnullos prorſus nolim ab uſu tuo ſeparare. Notabo igitur lineis, quos meis exiſtimo vel ſtudiis, vel etiam curioſitati opportunos eſſe: quos cùm mittes, egregiè obligabor. Reliquum eſt, ut viciſſim liberalitatem tuam æſtimem, & gratum me oſtendam. Nova quæ mittis, lætiora ſunt. Faxit Deus, ut brevi ad optatam

pacem

pacem veniamus. *D. SALAMANCA* penitùs tuus eſt, & tuum ego me profiteor. Deſtinaveram hodie Præfationem adjungere: ſed ſcribendi tempus non erat. Quicquid ſit, hac hebdomade accipies. Typographus autem nonniſi poſt feſta librum abſolvet. Vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Maii. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA LXII.

Bruxellam.

QUod certum fore ſcripſerã, jam cogor incertum reddere. Prefationem enim adhuc non mitto, ampliùs in Templo, quàm in muſæo occupatus. Sic dies ſunt non ſine myſterio triſtes, & ſic maximè religioſi. Noctes appellandæ veriùs erant, quas Sol novus, non temporis, ſed Æternitatis, Divino Lumine ſuo mox illuſtrabit. Magno Hoſpiti aliquid etiam Sacri otii dandum eſt, ac propediem BRUXELLAM redituro. In proximum igitur tabellarium, officium ac promiſſum meum differo, preſſiùs adhuc expenſurus, quæ ad decus ſcriptionis faciunt. *PETRARCHAM, ÆQUICOLAM*, & *MARINELLAM*

rem papyrum debui: majore ſic etiam involvi debuit, & major eſſe, quæ ad te mittere‑tur. Charta, inquam, magna eſt, epiſtola parva; atque interim paginam quaſi implet. Vale, & longiorem exſpecta. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Octob. ∞. IↃC. XXXVIII. De ſtatu Uxoris meę, & quid agam, in Litteris ad Heroëm leges. Exiſtima verò ad te quoque dirigi. Iterum vale, & amicos ſaluta.

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

BEnigno vultu & affatu hunc Virum dignare, & puta PUTEANUM ad te venire. Affinis meus eſt, Vir affectu tuo dignus, & eorum omnium, qui candorem, probitatem, atq; etiam doctrinam amant. Miraberis, quàm iniqua & violēta ab hoſtibus paſſus ſit, & quomodò etiam inter amicos periclitetur. Ego fidem publicam, ipſamq́; in hoc Viro Juſtitiam Regiam læſam puto. Explicabit ipſe fortunam ſuam, & ſimul patientiam; majorem enim damno animum habet. Explicabit innocentiam ſuam, & hujus fiduciâ animoſus eſt. Audi loquentem, ac deinde etiam conſilio tuo

tuo juva: totum enim hoc in me redundabit. Adhuc te rogo, ut, ſi me amas, omnia humanitatis officia huic affini meo exhibeas; jam enim glorioſus ſũ, non tantùm quia à te amor, ſed quia ille ſciet quantùm à te amer, & quos præterea Amicos habeam. Lovanii, in Arce, ſubitò. xx. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXXVIII

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

DE ſilentio meo ne ſeverè ſtatuas, rogo: tuo tam libenter ignoſco, quàm ipſas ſemper avidè exſpecto litteras, & lego. Nova utinam petitio tua felicem ſortita ſit eventum, vel ſortiatur! Catalogum Bibliothecæ Volderianæ jam acceperam, luculentum ſanè: recreabar libris, contriſtabar in morte tam boni Viri, & Amici: *Hæc cernitur Deorum iniquitas, quòd optimum quemq; non ſinant inter nos diurnare.* Optimæ Viduæ gratiam debeo: quæ mei memor fuit. Ignorabam ſanè, cui hoc beneficium deberem. Nunc igitur paucos hîc ſubnoto libros, quos meos facere velim, te adnitente, etiam pleno pretio, certè ſtudia mea juveris, & aliquid ſimul ornamen-

ti Bibliotheca mea accipiet. HORICKII hactenus reliqua miſſa non eſſe Elogia, equidem doleo. Hæc curarum pertinacia fuit, quibus vim jam illaturus ſum. Pro novis gratiam ſcribo. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ꝏ. I Ↄ C. XXXVIII. Libros commendo.

EPISTOLA LVI.

Bruxellam.

HEri obiter ſcripſi: hîc nunc Elogium ALBERTI vides. Sed an ad guſtum? Quæ de Principibus ſcribuntur, graviore judicio expendenda ſunt. Quid ſi igitur Prudentiſſimum Parentem tuum adhibeas? Quem ego Virum, quemadmodùm tu amas, ego æſtimo ac veneror. Audebóne eúdem in negotio communis Patriæ interpellare? Ordines GELDRIÆ Oratores ſuos BRUXELLAM miſêre, acturos apud Principem Præſidemq; de creatione Magiſtratuum: an hi deinceps perpetui, an annui futuri ſint. Perpetui hactenus, & ex privilegio conſtanter fuêre: annuos jubet Princeps eſſe: quæ res, magnas incipit turbas excitare. Ego te per amicitiam

noſtram

noſtram rogo,ut audire hoſce Oratores velis, meo adeò nomine,ac deinceps cauſſam ad Parentem deferre. Scripturus eram ad Pręſidem, ſed differo, donec aliquid à te reſponſi habeam. Toparcha Hillenradius ex Equeſtri Ordine eſt,ac Nobilitatem Geldricam repræſentat: reliqui quatuor, Urbes; duo è Magiſtratu Rùræmundenſi, duo è Venlonenſi. Hi etiam mihi propinqui, Beringius, & Ingenradius: ut eos meo nomine ſalutare velis, rogo. Sciant etiam Blitterswyckios Puteano Amicos eſſe: imò ſciant, hæc ſtudia, quæ tracto, publico Patriæ affectu digna eſſe. Remitto folium, quo frontiſpicium Aulæ exprimetur, ut videas Diſtichon Romanis poſſe litteris ſcribi. De itinere Cantelmi nihil adhuc certi habere potui: nihil enim ipſe adhuc ſtatuit. Hem Biæum noſtrum hoc ſciſcitari? Seriò igitur hodie inquiram, cras ſcripturus. Ita vale, & communem Amicum à me complectere. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Jan. ∞. I Ↄ C. XXXIX. Heri an annum jam mortuum notavi? Cogita feſtinationis vitium eſſe.

EPISTOLA LVII.

Bruxellam.

QUid ſerii diebus hiſce ἐπαγμένοις? Conviviis, tripudiiſque perſtrepunt omnia: adeò quidem, ut inſanire videatur, ſi quis non inſaniat. Scribo tamen, quæ ſileri diutiùs non debebant, tabellario præſertim hodie abeunte. PHILIPPUS III. proprio & peculiari titulo ſcribi poſſit: *ad Pietatem natus, magno exemplo &c.* breviter quidem, ſed aptè, ſi reliqua inſpicias. Sit verò PHILIPPUS IV. *hoſtibus omnibus rebellibusq́ major. Major* inquã, *eſt: & viribus cùm poſſit vincere, &c.* Stemmatum Romanorum Iconiſmi à SILVESTRO PETRA-SANCTA ſunt, novi, ac neſcio an editi: quos ſe miſſurum Auctor pollicitus eſt. Quo omnino ſit liber titulo, non ſat ſcio: ſed argumentum puto Symbolis expreſſum. Ubi accepero, transferri ad te ſinã; ne ampliùs ſolicitus ſis. Sic ſtatue quod meum eſt, tuum eſſe: Ego enim totus, & ex aſſe tuus ſum. Novum utriusque, imò & tertiæ Centuriæ Epiſtolicæ Exemplar paratum eſt, ut à me accipias. Quid ſi præſens? Nihil certè mihi ſuavius

ſius erit. Vale. Lovanii, in Arce, poſtrid. Non, Mart. ∞. ıↄc. xxxix. Ranicliis, aptum ſanè ingenioſę oblectationi argumentum ſerias facere ipſas ἐπαγμένας potuit: Fabulam in ipſo Kruılıo legeram: cujus opera filiæ meæ habent. Iterum vale, iterumque ſalve.

EPISTOLA LVIII.

Bruxellam.

CAlamum per hos aliquot dies continui, ſed neſcio quibus negotiis impeditus. Tam facilè errori meo ignoſces, quàm libenter omnia amori tribues. Nunc Salamanca in Arce nobiſcum eſt, & nos humanitate ſuâ beat. Tu quando excurres? Ecce hæ ab eo litteræ ſunt, quas ad te mitto, ut ſubitò deſtinentur. Meas adjungo ad ingenioſiſſimum Uffelium noſtrum, qui Carmine gemino, Latino & Belgico in admirationem me dedit. Vale, & me amare perge. Sed Artifex, an Cantelmi vultum tentabit? Si res ſuccedat ad ingens ille lucrum viam ſibi aperiet. Iterum vale, & ſalve. Lovanii, in Arce, xiv. Kal. April. ∞. ıↄc. xxxix. Elegantiſſimum D. Biæum noſtrum ſimul ſalvere jubeo.

EPI-

EPISTOLA LIX.

Bruxellam.

LItteras ecce Illuſtriſſimi Legati *LOVYZOVYY* remitto, amicè & officioſiſſimè penitùs ſcriptas. Si reſponderis, ſalutem & obſequium à me adde. Super effigie *CANTELMI* etiam Generum meum interpellavi. Opportuna autem hæc mihi jam tempora videntur: occupanda dum licet, & belli ratio in ambiguo eſt. Et quod luculentius ſpecimen? Unus ille, peritè expreſſus, multorum magnorumque excitabit deſiderium; & facient ſtatuæ, quod hactenus picturæ: unus etiam Artifex ille, quod multi. Sed humanitatis delicium *SALAMANCAM* quando viſes? Dies ipſi invitant, blandi, & temperie ſuâ amœni. *LANGRENUM* unà venire velim, & inſtrumenta horis delineandis idonea conferre; quæ pauca admodum ſunt, & ſine onere. Hactenus neſcio quomodò hoc ornamento Arx noſtra caruerit. Familiarior nobis Sol erit, quando aptis diſtinctisque umbris partes diei ac lucis repræſentabit. Neſcio an amœniores lineæ ſint. Vale,

&

& perge Genero meo BONVICINIO familiaris eſſe. Quartam è novo apparatu Centuriam mox miſſurus ſum. Iterum vale, & ſalve, meque amare perge. Lovanii, in Arce, prid. Kal. April. ∞. ɪↄc. xxxix.

EPISTOLA LX.

Bruxellam.

PErgis me beare ſuaviſſimis litteris tuis, & officiis: quamvis negotiis, imò curis diſtrictus. Bene eſt: convivium quoque video, cui intereſſe nonne quoque videor? Ubi LANGRENUS eſt, non poteſt non PUTEANUS eſſe: minùs etiam à BLITTERSVVYCKIO ſuo ſeparatus. Animo adfui, ac deliciarum omnium particeps fui, in loco lecto, inter convivas ſelectos, apparatu fruens non neglecto: quæ perfecti convivii conditiones ſunt. Avidè ſcire expeto, quid de CAMPANELLÆ admiranda obſervatione ille Amicus noſter. Hem, aliquid etiam librorum tibi è COBERGIANIS? Multi bonæ notæ erant, atque ego pauculos emi mihi curaveram: quo eventu neſcio. Italicorum tuorum Index me, ubi venerit, recreabit. Vale; & me ama. D. MICHA-

pacem veniamus. D. *SALAMANCA* penitùs tuus eſt, & tuum ego me profiteor. Deſtinaveram hodie Præfationem adjungere: ſed ſcribendi tempus non erat. Quicquid ſit, hac hebdomade accipies. Typographus autem nonniſi poſt feſta librum abſolvet. Vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Maii. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA LXII.

Bruxellam.

QUod certum fore ſcripſerã, jam cogor incertum reddere. Pręfationem enim adhuc non mitto, ampliùs in Templo, quàm in muſæo occupatus. Sic dies ſunt non ſine myſterio triſtes, & ſic maximè religioſi. Noctes appellandæ veriùs erant, quas Sol novus, non temporis, ſed Æternitatis, Divino Lumine ſuo mox illuſtrabit. Magno Hoſpiti aliquid etiam Sacri otii dandum eſt, ac propediem BRUXELLAM redituro. In proximum igitur tabellarium, officium ac promiſſum meum differo, preſſiùs adhuc expenſurus, quæ ad decus ſcriptionis faciunt. *PETRARCHAM, ÆQUICOLAM*, & *MARINEL-*

LAM

LAM accepi, tergeminum novumque Munus: pro quo tergeminæ novæque gratiæ ſunto. Sed *MARINELLA* ſi cultiorem ſumat veſtem, ſatis formoſa erit. Ultimum Indicem cum Præfatione ſimul remittam: in quo tituli ipſi me recreant. Vale, & feliciter hæc feſta tranſige. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Maii, CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA LXIII.

Bruxellam.

MElior heſternus erat dies, quàm ut itinere ſinderetur. Hodie igitur Optimus Humaniſſimusque Hoſpes noſter abit; firmior jam robuſtiorque; ut videas quid Arci, & aëri huic tribuendum ſit. Æſtimare deinceps Palladem noſtram Magni incipient, propitiam ſibi in Pallade Hygeiam habituri. Sed D. Michaelem Illuſtriſſimo non Munere tantùm ſed ingenio Virum quomodò ſatis laudem? Ego eum Patronum familię meę ac ſtudiorum ſcribo, unam hâc potiſſimùm revolvens curam, ut affectum meum cultumque publico monumento exprimam. Præter Centuriam Epiſtolarum, pecuniam ei

ei Romanam accuratiore volumine deſtinavi. Tu nunc fruere præſentiâ Illuſtriſſimi Viri, (audeóne dicere ?) & Amici, in Amico autem ſint omnia. Hem, Præfationis nulla jam mora erit. Tabellarius verò faſciculum ſibi commiſſum rectè tradidit. Ultimum Catalogum ecce reddo: uno excepto Codice, omnes notavi. Jam accuſa aviditatem ingenii mei, & excuſa, quia librorum eſt. Sed in hominem beneficii memorem liberalis es. Vale, & adhuc vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Majas, ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA LXIV.

Bruxellam.

HEri pecuniolam illam tabellario ad te ferendam tradi curavi, eodem pretio, non eodem metallo. Argentum non potui, aurum miſi, quod ſcio tamen deterius jam cenſeri. Minùs igitur dediſſe videar, quàm accepi: paratus ſupplêre, ſi quid extra leges computatum eſt. Ecce quàm circa pecuniam, quia minùs mihi familiarem, ſolicitus ſum! Numerando, aliorum morem & exemplum ſequor: quaſi conſuetudine error excuſetur

Difficile adeò eſt, auri pretium inter mercatores ſuâ regulâ ſtare; qui Publicæ ſemper Auctoritati obnituntur, ingenioſi, ut non merce tantùm, ſed & nummo lucrum augeant. Bene illis ſit: Sapiens, quantò magis negliget pecuniam, ditior erit. Satis putat, quod neceſſitati arcendæ par eſt, & vitæ honeſtatem tueri poteſt: magnas opes infelicitati proximas eſſe, vix unquam rectè adminiſtrari. Aureum EPICURI Dictum eſt, *non divitiis, ut locuples ſis, adjiciendum eſſe, ſed cupiditatibus detrahendum*. Aliæ, ſed ſimiles aliorum Philoſophorum Sententiæ ac Gnomæ ſunt: totaque Sapientiæ Schola huc ducit, parvo beatè vitam inſtitui. Libellos illos Italicos, benevolentiæ tuæ teſtes, ſæpiùs inſpicio, & ad *ἀντίδωρον* continuò vitam ſtimulor. Quid reddam verò? Libellos quoque, ſed ex intervallo: novos pro veteribus, & ſic deteriores: Latinos, pro Italicis, & ſic utiliores. Cras igitur experiri incipiam, an oblectare ingenium tuum aliquo munere queam: id ſi ſucceſſerit, liberalior in poſterum ero. *PICOLOMINEI THEORICAS PLANETARUM* à te accepiſſe inter reliquos, cùm *BRUXELLÆ* eſſem, libros, gaudebam: ſed animadverti deinde priorem duntaxat voluminis partem eſſe. Totum Opus

in

in RUFULI (nomen ignoro) taberna, plateâ, quæ inter forum Curiæ, & Olitorium eſt (an ad Signum Trium Gratiarum ?) vidi, & quia tuum eſſe integrum opinabar, neglexi, poſtquam ſemipataconem obtuliſſem: experire quæſo, an triginta haberi ſtuferis poſſit: pluris enim nolim emptum eſſe. Hanc etiam pecuniolam lubens refundam; eâ verò lege emes, ut refundam. Vale, & me amare perge. Cras, ſi quid adhuc ſcribendum erat. Lovanii, in Arce, Kalendis Junii, ∞. ɪↄc. xxxix.

EPITSOLA LXV.

Bruxellam.

UT libellum hunc mittam, ſcribo. Stilo & argumento ſingularis eſt, & perquàm ingenioſè incendium Veſuvij Montis, Terræque motum CALABRIÆ exprimit. Cumulata acumina dixeris, & quaſi nimia. Sic & ſubtilitatis quædam luxuria eſt, quando totam ſermonis ſimplicitatem excludit. Voluit omnia RECUPITUS argutè dicere, & verba quaſi ſingula in myſteria commutare lege; delectaberis. Sed res ipſa mira eſt: digna certè ſingulari modo deſcribi. *WITTIUS*

 noſter

noſter, quia impendere typos auſus eſt, Virum ſe oſtendit. Ut auderet verò, hortatu meo factum. Societas interim ſumptus fecit, & Exemplaria omnia ſibi vindicavit. Tuum hoc eſto: quemadmodùm ego me eſſe profiteor. Sic ſalve. Lovanii, in Arce, prid. Non Junii, ∞. ɪↄc. xxxix.

EPISTOLA LXVI.

Bruxellam.

AN te verò, poſt inſomne trinoctium, ſuaviter fortaſſis dormientem excitare auſim? Non poſſum quin ſcribam: & quomodò *IUSTUS* meus ſine litteris proficiſcatur? Expergiſcere igitur, ut pauca hæc legas: & lege, ut vel molliùs ſopiaris. A plena quiete acrior alacriorq; ad Reipublicæ negotia venies: quæ quia Munera tua, conſilio feliciora reddes. An & mea? Sed nulla jam ſunt, niſi ad amœnitates deſcendas. Sanè de Carmine quid ſtatuas, exſpecto. Tentare quidem *SEPTENARIUM* breviter volui, ut de bono affectu Nobiliſſimæ Curiæ conſtaret, quem debere me profiteor. Urbis laudes uberiore paginâ explicatas, mox accipies; & ſic etiam magis me amabis

amabis. Hoc ſanè jam ago : ſic ubi, ut tenebræ & remoræ multæ ſunt, hæſero, lucem & opem flagitabo. Tabellæ interim habenda erit ratio, neſcio an ſatis magnæ, totam ſi Hiſtoriam complecti velim. Mea mihi brevitas auxilio erit, ac ſi non omnia, præcipua certè exprimam. Hæc ſatis : & jam licet ad ſomnum redeas, ſi dormire adhuc ſuave aut neceſſarium exiſtimabis. Extra jocum, corpori conſule, naturæ morem gere, ac vale. Lovanii, in Arce, x. Kal. quinct. ∞. ıɔc. xxxıx.

EPISTOLA LXVII.

Bruxellam.

DOmum reverſus ſum, animum apud Amicos reliqui. Reverſus cum munuſculis librorum, quibus novam teſtari benevolentiam voluiſti. Quàm facilè admiſi donum, tā verecundè nunc expendo, & novo me tibi beneficio obſtrictum fateor. Unum Vir unus librum quanti fecit? Sed uno carêre poſſum cùm plures tu jam ſæpiùs atque etiam ſponte largiri volueris. In his igitur quod legam habeo, imò quod æſtimem. Curioſi enim nonnulli ſunt, ſive argumentum, ſive modum

 ſcribendi

ſcribendi ſpectem. Ego verò quid reponam tandem, ut gratus videar ? Quid ? Ipſum animum meum, quem jam habes, & ſemper habiturus es. Sic enim totus ipſe tuus ſum : ſic me tuum eſſe profiteor. Amicos omnes ut ſalvere jubeas, adhuc rogo. Die Lunæ feriò GRIPHUM aggrediar. Vale, & Ampliſſimum Parentem, ſi venerit, nomine meo venerare. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Octob. ∞. IↃC. XXXIX. Arenâ ecce nigrâ uti incipio, & ſic magis candorem profiteor. Iterum vale.

EPISTOLA LXVIII.

Bruxellam.

DElicias facis, mi BLITTERSWYCKI, neque enim quam tu in me laudas amœnitatem, agnoſco. Severior ætas cum lepôre & joco incipit divortium facere: interim tamen florentes & præteritos annos in aliis, & in te vel maximè amo. Sic redire ſaltem ad meliorem ac vernam vitam videor, imò ad ſtudia, quæ amœnitate continentur. Si poſt LUCÆ feſtum veneris, vide, ut quemadmodùm me amas, etiam Arcem æſtimes:

ſic

ſic verò curas omnes exuemus. Faxo interea numeris ſuis omnibus Septenarius noſter conſtet, ſine alia remora typis Mommartianis tradendus. Quę adhuc miſſurus es, avidè exſpectabo. Tusius meus rus ivit, cras vel perendie reverſurus, cujus manu in ſcribendo Gripho utar. Interea temporis adhuc reſpiro, & Muſæum ordino. Excellentiſſimum Comitem Zapatam intimo affectu veneror, à quo amari, tanti eſt, ut ejus favore, quàm meo ingenio malim innoteſcere. Sed cogor abrumpere. Elogium Nominis Mariæ vehementer placuit. Vale. Lovanii, in Arce, v. Kal. Octob. ꝏ. ɪↄc. xxxix.

EPISTOLA LXIX.

Bruxellam.

INſignia mihi tua ante oculos continuò ſunt: quidni libenter deſcribam? Genealogia verò, illâ quam præmiſi, accuratior in deliciis futura eſt: digna certè in hac Arce, & ubique conſpici: ſi quid calamo ultra potero, jam addico. De imagine mea nimis profectò ſolicitus es: quid ſi abſoluto Gripho Curiæ eam veſtrę dones, & ſic me totum de-

dices? Meam illam à *VANLONIO* pictam bono animo deſtinaveram quoque. Sic eram cùm vigerem maximè, & *HISTORIAM BARBARORUM* ſcriberem: quæ, niſi Litteræ omnes pereant, aliquo apud Poſteros loco erit. Sed quid ais? Bonum *BRONCHORSTIUM* ſic ſubitò abreptum? Bene Manibus ejus ſit! Et inter Beatos vivat! Hic nos etiam Amicus monet, moriendum eſſe, imò feliciùs vivendum eſſe; monet exemplo ſuo, è mari ac tempeſtate in portum tranſlatus. Epitaphium *GRYSEORUM* fratrum hiſce ſubjungo, quod à D. *DONGELBERGIO* concinnandum acceperam. Utinam tam feliciter, quàm libenter! Forma tota accuratiſſima eſt, & brevitate ſuâ conſtat: proinde ſi quid mutavero, non emendandi, ſed obſequendi deſiderium profitebor. *GRIPHUM* adhuc limo, & apto, ut mox *TUSIUS* eum exſcribat; qui ruri adhuc hæret. Vale. Lovanii, in Arce, Kalendis Octob. ∞. IↃC. XXXIX.

EPIST-

EPISTOLA LXX.

Bruxellam.

GRavi dejectus catarrho, difficulter reſpiro. Hæc ætatis jam meæ feriò ingraveſcentis vitia ſunt, ſolitumque vigorem mentis delibant ac debilitant. Ad pharmaca, ſed adhuc lenia, conſilio Medici, confugi: quæ ſi irrita fuerint, acrioribus remediis me committam. Sic igitur in cubiculo, & apud ignem, hyemem patior, & ex intervallo quoque ſanguini s febriculoſo rigore tremo. Æſtus, qui ſubſequi ſolet, minor eſt. Animus interim bonus, & novis iſtis ſe recreans, quæ quaſi trimodio admetiris. Porrò quid de conflictu ſuo Neptunio, ipſi Neptunii homines narraturi ſunt, libenter inſpiciam: ornare ſua nôrunt. Sed illum maritimo curru triumphantem inter Pelagi monſtra hominem admiratus ſum; neque imaginis audacia hîc conſiſtet. Ad noſtra: placuiſſe *GRYSEORUM* Epitaphium gaudeo. Aliquid laboris erat, ad eum redigere ordinem lineas, ut ſpatio convenirent. Cæterùm verba aliqua jam facilè mutari poterunt. Sed Dedicatio *GRIPHI*, quia

 arriſit,

arriſit, in ipſo hoc morbo exhilaratus ſum. Cedat *amœnitas* quoque *Cælo* : nihil enim jam nobilius poteſt exprimi. Nobilis Patriciusque veſter adhuc me interpellaverat neſcivit fortaſſis typographo redditam ſchedam fuiſſe. Nunc te rogo, mi amice, ut has litteras meas ad *D. DE SALAMANCA* mitti cures, ſed ſecurè. Lovanii, in Arce, ipſis Kalendis Novemb. Omnium Divorum die, ∞. IↃC. XXXIX. Prid non. Novemb. id eſt, Die Veneris, natalem meum LXVI. Domeſtici celebrabunt.

EPISTOLA LXXI.

Bruxellam.

SUavis hic mihi affectus tuus eſt, tam ſolicitè valetudinem meam expendens. Sed nónne ferenda æquo animo, quæ neceſſaria ſunt & ut Sapientes decernunt τὰ οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν. Vide ætatem meam: non poſſum niſi malam jam appellare. Bona erit, ſi bene adhuc occupabitur: ſi, ut in hyeme, aliquid ex intervallo ſerenitatis erit. Sed te exſpectabo, ut morbi mei reliquias expellam, & auſim etiam ſupra ætatem valere. *D. BUTKENIUM*
quidni

quidni amicum cupiam? Sanè officia ei mea, ſtudia, obſequia offero; Viro, & ordine ſuo bonis venerabili, & ingenio doctrinâque inter doctos curioſosque eminenti. *DE HORICKIO* oblitus eram: ſed quid mirum à pertinaci catarrhi nube madidam memoriam eſſe? Exiſtimo igitur, meliori imagine, atque etiam titulo Opus, quod parat, ornandum eſſe. Malim verò coràm conſilium meum aperire. Sic in adventum tuum omnia, ut vides differo: ſimul quæ *GRYPHUM* ſpectant, ſine mora deinde tradendum typographo, illi, inquam, qui ut ipſe ingenioſus eſt, elegantiam ſuam non ſinet deſiderari. Sanè partem pretii à typis liber ſumit. Ubi ſciero D. *MICHAELEM* rediiſſe, *MAXIMILIANUM* filium meum *BRUXELLAM* miſſurus ſum. Nobiliſſimis *DONGELBERGIIS* novo affectu cultum meum devoveo, ſic & Syndico, quem ego inter Viros elegantiores veneror. Vale. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XXXIX. Ad D. Præſidem aliquid velim litterarum dare: ægrotus ad ægrotum.

EPISTOLA LXXII.

Bruxellam.

SUaviſſimam equidem accepi ſtrenam, novam, ut ſic dicam, candidiſſimæ humanitatis tuæ ac benevolentiæ teſſeram: cùm ipſa etiam epiſtola tua, amicè & eleganter ſcripta, ſtrenam faciat. Permitte, obſecro, ut levi Munuſculo ſignificem me obſtrictum eſſe; Crumenula eſt, quæ ne vacua iret, Roſariolum ligneum cum Indulgentiis Camaldulenſibus, quæ maximæ ſunt, & Numiſmation ſimul ſacrum impoſui, ſed æreum, auri fuco ſplendens. Adjunctum eſt argenteum, ſed profanum, imaginem HOUWARTII, Poëtæ, vernaculo ſermone noſtro Celeberrimi, & quem Amicus ille noſter, infrà ſe jacens, Avum habuit. Boni conſule, & libertatem meam excuſa, quæ ab Amore nata eſt. GRIPHUM cogita abſolutum eſſe: ſed à te, ut nuper ſcripſi, videndum. Vide autem, periit mihi, neſcio quâ culpâ, Catalogus iſte Opificiorum, manu tuâ ſcriptus, quo tamen indigeo, ut cum Latinis meis vocabula Belgica adjungam: id enim judicavi neceſſarium

rium eſſe, ut Latina, Lector intelligat, ac videat Latina eſſe. An non alterum igitur haberi exemplar poſſit? Prius toto hoc biduo quæſiui, nec invêni. Familias etiam exſpectabo. Vale, & me, verè TUUM ama. Lovanii, in Arce, III. Non. Jan. ∞. IↃC.XL.

EPISTOLA LXXIII.

Bruxellam.

GEneroſum animum tuum ſatis admirari non poſſum. Siccine nova munera? At mea vix munuſcula erant, quibus ſignificare volui, me tibi obſtrictum eſſe. Illud Numiſma Illuſtriſſimi Præſidis, omnibus modis pretioſum eſt, dignum profectò rariora inter Cimelia conſervari. Apud te igitur ſit, & bis mihi datum eſſe intelligam: apud te me BLITTERSWYCKI; ita enim apud me magis erit. Ut videas quàm Tuus ſim, libros ecce admitto; imò verò tot jam admiſi, ut meus eſſe deſierim. Veni igitur, & coràm de me, de rebus meis, ac ſtudiis, tuo arbitrio ſtatue. Veni GRIPHI cauſsâ, jam penitùs abſoluti; quem ſuaviter ſimul perlegemus. Miraber is, in juſtum Volumen potuiſſe argumentum a: . tolli

tolli: tuâ omnino præſentiâ opus, ut videas an omnia quæ ſcripſi, pondere ſuo conſiſtant. Sed rogo ut, ſi Urbem tuam amas, hîc me amare velis, & reliquis muneribus tuis aliquid etiam temporis adjungas. Pauculas poſco horas, quas legendo occupem, auribus tuis delicias, ut ſpero, daturus. Sic igitur veſperi litteras, itineris indices exſpectabo. Sed ſi noctes D. Avunculus poſcet, dies ego mihi ſtipulor, quos brevi ſemper prandio dividemus. In Catalogo, primus *De Infelicitate Doctorum Virorum liber*, minoris momenti videtur: item quartus, *De Exemplis Sanctorum Scriptorum*, reliqui boni. Vale. Lovanii, in Arce, VI I. Eid. Jan. ∞. IↃC. XL. JUSTUS meus quid agit? Silet enim. Septem Indigetum Bruxellenſium Nomina exſpecto, imò te.

EPISTOLA LXXIV.

Bruxellam.

DIes jam quidem anguſti nobis fuêre, deinceps noctes potiùs ſumemus: quæ plus quietis & conſilii habent. GRIPHI nónne obſcuri ſunt? In tenebris igitur illuſtrandi. Noſtrum

Noſtrum quidem mox totum conſtituerimus totum verò perlegendum. Omnino quid ſcriptum ſit, prę ſertim in Scholiis variè auctis oportebit examinare. Quàm amicè autem mecum agas, ubique experior: Quid dicam? Verum illum candorem tuum oſtendis, quaſi ſatis non ſit, amare quem amas, niſi ornes quoque, augeaſque. Quid moliaris, Justus meus ad me ſcripſit. Meum erit, reddere animo, quantùm officio non potero, daturus operam, ut omnes intelligant, Puteanum Blitterswyckio obſtrictum eſſe. Neque plura jam addo. Tuo commodo reliquas Familias mittes, & quę prætereà ad Bruxellam Septenariam faciunt. Pugnam Wœringanam mox legere incipiam: hactenus enim non omnino meæ ſpontis fui. Scis etiam aliquid temporis ſtudiiq; Diſſertationibus Publicis tribuendum eſſe ut decorè utiliterque noctes illæ illuſtrentur. Retingebam quoque *BISSEXTUM* meum aut interpolabam: ut mox videbis. Sanè Annus Biſſextilis eſt, ac talem nunc etiam titulum exigebat. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, v. Kal. Febr. ∞. IↃC. XL.

EPISTO-

EPISTOLA LXXV.

Bruxellam.

DIem Saturni ſilentio nefaſtum feci, ac ſanè peccaſſe videor. Litteræ enim tuæ reſponſum flagitabant, peculiari etiam ratione, non amicæ tantùm, ſed officioſæ. Pauca illa in deſcriptione Inſignium verba, obeliſco jugulanda ſunt. Satis enim, candidum eſſe Lilium, ne & Argenteum dicamus. Dura etiam iſta cum Luna comparatio eſt, ac nimis poëtica. Quid igitur? Vides faciliùs aliquid demi poſſe, quàm addi. Si reliqua conſtant, bene opellam iſtam putabo collocatam. Ad tuæ verò Nobilitatis decora mox calamum transferam; quæ ut imagine pulchra ſunt, ita verborum amœnitatem ſibi depoſcunt. Virgines utrimque magno ornamento ſunt, præſertim coloribus, hinc purpuræ, ſive ſanguinis, inde lucis ſive argenti diſtinctæ. Sed animal ex apice inter alas ſe erigens, & Coronæ inſiſtens, nónne lepus? Cujuſmodi ramuſculus ille ſit, quem pedibus prioribus oreque tenet, ſcire velim. Septem Familiarum inſignia cum tabella ad me miſſa contuli:

uno

uno excepto vocabulo, exacta omnia erant. Jam verò Equites illos duos ſimul exprimere, difficile non erit. Colores enim ſimul annotati. Vale. Lovanii, in Arce, Fidibus Februarii, ɔↄ. IↄC. XL. Ecquid novi? JUSTUM meum ſi videris, ſaluta quæſo: ad quem die craſtini ſcripturus ſum. Iterum vale, & me conſtanter ama. Domini Avunculi tui mortem etiam familia mea luget, cujus ille quandoque pars fuit.

EPISTOLA LXXVI.

Bruxellam.

DE Bacchanalibus heſterna diſſertatio mea fuit. Quid dixerim, JUSTUS meus referre utcumque poterit. Auditor enim unus è multis fuit: atque utinam te quoque habuiſſem. Lepidior eſſe auſus ſum, tanquàm aliquid tempori & genio indulgerem; ea in medium adferens, quæ nova omnium auribus eſſe poterant, è penetralibus eruditæ Antiquitatis eruta. Interim frigore denuò correptus ſum, quod vitium ne impedimentum ſtudiorum fiat, ſedulò annitar. Quiete opus erit, foco & bono animo: tuo etiam alloquio

 quod

quod in litteris inveniam. Comam à te miſſam jam gero, & à canis decôrem ſumo. Sed tuam fidem! Quo pretio? Hoc indica, ſi amari vis: debeo enim ſine tuo damno formoſus eſſe: cùm ſatis ſic etiam obſtrictus ſim, ne ad operam ſumptus accedant. Hic candor meus eſt, à quo tuus, ut ſpero, non erit alienus. Nunc JUSTUM tibi commendo, ut ſi quid muneris contingat alibi vacare, cui aptus ille ſit, tuo poſſit cônſilio & auxilio favorem obtinere. Variis linguis inſtructus eſt, Scriptione, præſertim Epiſtolari, valet; ſi quid agat, ſi quid curet, induſtrius. Tuus in me amor, etiam ad hunc meum deſcendat. Hoc rogo, & ſic magis te meum putabo, & complectar. Vale. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Mart. ∞. I Ɔ C. X L.

EPISTOLA LXXVII.

Bruxellam.

DEſiit hîc etiam voluptas nugari. Pyrricha interim noſtra laudanda eſt, quæ virilem in ſequiori ſexu virtutem oſtendit. Dextrè admodum ad numeros pugnatum eſt, gladiis, pugionibusque, cum admiratione ſpectantium & applauſu. Gener meus hîc in-

ingenioſus fuit, ut Director, ita pars ſalutationis, cui domeſtici noſtri *ARMATÆ* ſocii, & prorsùs *SYMMACHI* erant. Multus igitur de hac elegantia noſtra adhuc ſermo, multa laudatio. Vidit enim in Arce *LOVANIUM*, quod hactenus non viderat, etiã nunc *AMAZONES* eſſe, ſi arma uſurpent: experimentum luſu dari. Ornatus ipſe ſingularis fuit, dignus, ut omnia dicam, etiam *BRUXELLÆ* ſpectari. Hæc igitur laris mei oblectatio fuit, cùm omnes ſolent inſanire; & aliquid tamen *PALLADIS* habuit, ne à ſapientia abirem. Quid enim? Elogium *LUITPRANDI TICINENSIS*, Hiſtorici non infimæ notæ, ſcribendum erat, ut Editio Ramireziana, quæ à *MORETO* curatur, ornaretur: ſcripſi verò & in ipſo hoc ſtrepitu, floridâ diſſertatiunculâ rem complexus, quam excuſam mox videbis. Sed nobis jam *GRIPHUS* curæ ſit, ut numeris ſuis abſolutum demus: bonum potiùs & pulchrum, quàm magnum; magnus autem erit, quando bonus. *HORICKIO* operam libenter dabo, quamvis argumenti dubius ſim. Quid ſi à Legato Reſidente Regis *BRITANNIÆ* capita ſcriptionis petamus? ita & facile nobis, & ſecurum Encomium ſit. Hunc faſciculum, ut *BRUGAS* deſtinatum velis, amicè rogo. Victoriæ Germanicæ auſpicia

vehementer me recreârunt. Vale. Lovanii, in Arce, die intercalari, ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LXXVIII.

Bruxellam.

Doleo ex animo, bonum HORICKERUM febri concuti: quæ quid niſi hominis motus eſt, quemadmodum hac nocte terræ fuit. Timeri maximè Arci potuit, quia in alto. Sed vos iſthic an immunes? Circa tertiam præcipua concuſſio fuit, atque ipſe crepitus murorum & contignationum terrorem adferebat. Metus poſt periculum perſeveravit, multùmque negotii habui, ut Gynæceum meum, quod totum in planctu & ejulatu erat, confirmarem. Solatium à Pietate ſumptum eſt, quaſi cum ipſo motu, ira Dei ceſſaret. Res ſanè hîc nova eſt, & aliquid fortaſſis præſagij habet. Si quis dixerit verò, graviorem belli motum ſignificari; ſtabimus fortes, & ruinam Boni Principis curâ & vigilantiâ avertemus. Heſternæ meæ an in manus tuas venêre? Fac, amabo, & ſecurè in HISPANIAM deſtinentur. Vale Lovanii, in Arce, ſed necdum tranquilla, prid. Non April. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXIX.

Bruxellam.

TRiſtiſſimus hic Religione, imò Religioſiſſimus triſtitiâ dies eſt, ad Deum ab aliis negotiis mentes hominum attollens. Deus moritur, qui vivit ſemper, & admirabili myſterio factum ſe hominem eſſe, & hominum cauſsâ, redeunte Solennitate oſtendit. Hæc igitur breviter, & tanquàm non ſcribam. Pauca enim jam in Elogio videntur ſupereſſe, & ſic à te notata ut dixerim emendata eſſe. Sed hem hibernus hic verè annus eſt, perverſo naturæ ordine Elementa ferè omnia conturbans. Ubi Favonius? Ubi veris vices? Flores exſpectabamus, & ecce nives cadunt: amœnitatem, horror eſt. A Sole ad focum redeamus neceſſe eſt: non ut pulveres, ſed cineres colligantur. An cælum peccat? Et officium ſuum Sidera negligunt? Errantia illa excuſo: Mars, Jupiter Saturnus in Signis hærent Auſtrinis ac Hiemalibus, nec ſinunt Principem ſuum Solem liberâ luce redire. Aliæ, & occultæ cauſſę ſunt, quas inveſtigare, Sapientiæ Opus ſit. Sed utiliùs fortè ad nuperum

terræ motum contemplatio transferatur. Exſpecto igitur, ut ſciam, quouſque ſe extenderit: an per GALLIAM? An ulterius? An eodem tempore diverſa loca tremuerint? Mitiùs ſanè nobiſcum Natura agit, ſi ITALIAM conſideremus. Urbes noſtræ concuſſæ duntaxat ſunt: Italicæ partim concuſſæ, partim everſæ, voraginibusque horendum in modum hauſtæ. Aliúdne dicam? Dominos DONGELBERGIOS fratres animitùs ſalvere jubeo, ad quos ſcripturus ſum. Te nunc rogo, ut epiſtolam adjunctam, traditam eſſe velis. Per Amicum aliquem ſatis eſt, modò ſciam traditam eſſe. Vale. Lovanii, in Arce, VII. Eid. April. CIↃ. IↃC. XL.

EPISTOLA LXXX.

Bruxellam.

QUàm tibi res meæ, curæ & cordi ſint, ultima epiſtola tua luculentiſſimis officiis indicat. De libello igitur ſupplice mittendo conſilium capiam, ut mox favore tam benigno τῦ πρὸς ἄλυ fruar. Moleſtia, de qua nuper, ſopita eſt, & tranquilliorem me fecit. Tanti verò eſſe jam non puto, ut recenſeam. Mi Amice

mice

mice, multa quotidie ſunt, quæ animum cujusque arietant: meum Sapientiæ Præceptis magis magiſque conor obfirmare, præſertim in ætate jam pręcipiti. De ANTONIO quid ſtatuam, dubius ſum: Fratrem ejus PARISIIS eſſe, certum puto, & verè eſſe Fratrem; litteras enim ab eo nuperrimè accepi, de Nuptiis fratris inquirente. Sed hos nunc miſſos facio. Gener meus BONVICINIUS accinctus eſt, ut cum EUGENIA ſuâ in ITALIAM proficiſcatur. A Principe ſuo vocatus, certam incertæ fortunæ præferre maluit, in Patria, quàm foris agere: cùm domi patrimonio inſtructus ſit, quo honeſtam & dignam Viro Nobili vitam degat, Viro Litterato. Inſignia noſtra flores Meſpili ſunt: quinq; foliorum, ut in margine exprimo: Meditulliū floris cujusq; aureum, quinq; folicula, Meditullium cingentia, argentea; quinq; extrema, & infima, quę in acumen deſinunt, viridia. Fundus igitur aureus, qui viridem colorem recipit; Triangulus flores ſeparans, niger. Sed obſecro, quorſum hæc ſcire deſideras? Tu me ama, & omnia ornamenta videbor accipere. Vale. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Majas, ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LXXXI.

Bruxellam.

CUm tot funera Amicorum triſtis video, cogitare jam de meo quoque incipio. Ætas monet, mortiſque ſatellites morbi, qui ex intervallo minantur. Quantillum igitur eſt, quod vivimus! Sexageſimum ſeptimum ætatis annum prid. Non. Novemb. ingrediar: totumque hoc ſpatium, nil niſi ſomnium jam eſt, & quaſi non fuiſſet. Junior aliquando, & quia ægrotabam, de ſepulchro & monumento cogitabam: jam igitur fas ſit, & circumſpicere, cui me mortuum commendare debeam. Cui? Tibi, ſi hanc curam admittes, & amorem ſines poſthumum eſſe. Cùm non ero, tuus tamen ero; & ſi quid manebit nominis, tuo fulcietur. Hæc ſcribo, defluxione iterum laborans, quę ſiniſtram infeſtat genam, & cruciat. In uno & vacillante jam dente dolor eſt, ac niſi brevi ceſſet, evellendo. Et tamen hodie ad Scholam vectus ſum, publicè dixi, & animoſiùs, quia frequentiſſimum Auditorium erat, quia argumentum excitabat, quod de Honesto erat,

erat. Ita nunc etiam hora profracta eſt, & jubet ſubſiſtere. Tusium meum jam videris, quem quia potes, juva. Sic vale, & me ama. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Novemb. ꝏ. IↃC. XL.

EPISTOLA LXXXII.

Bruxellam.

Litteras tuas heſternas non tulit Tusius meus, ſed miſit meas illi inſcriptas, ad te direxi. Reſignare igitur, ac legere poteras. Id ſi non feceris, extra ordinem ecce ſcribo. & quia tabellarii quieſcunt, aurigis utor. Rogo autem, ut ſi Tusius diſceſſerit, omni modo è nova auctione Mommartiana, quæ die Lunæ, ut intelligo, inſtituetur, emi mihi cures duos hos libellos, *Il muto che parla, & Ammaeſtramenti di ſaba.* In quarta, & circa medium columnâ notati ſunt, & formâ, quæ in *Octavo* appellatur. Hoc volebam, tu, amabo, libertatem boni conſule. Afflixit me ſanè, ne plura dicam, mors Optimi Doctiſſimique Pazii; quem Amicum, & verum ſemper expertus ſum. Annum nimis herclè fatalem! Tot me funera monent, moriendum mox

 eſſe:

eſſe: ætas monet, quæ ingraveſcit, aliosque ex aliis morbos gignit. Bonum factum, ſarcinas colligam, ut cùm Deus juſſerit, proficiſcar. Ecce Familiæ tuæ Inſignia, quemadmodùm ea Epigrammate complexus ſum, quem affectum meum, ut boni conſulas, rogo: Deſcriptionem verò aptare potero, ut ab HORICKIO exprimatur.

BLITTERSWYCKIORUM

INSIGNIA GENTILITIA.

DICTUM.

Ter ſplendet veteri RADIATUS LUMINE SANGUIS.

INSIGNIA.

Inclyta Purpureo Gens BLITTERSWYCKIA Scuto
Argentum triplici dente micante gerit.
Dat Galeæ radios auro compacta Corona:
Plumea Cæſaries ſanguine, luce fluit.
Surgit Apex, Alis Ramumq; Virentis Olivę
Erectus pedibus, ſuſtinet ore lepus.
Quę Scutũ Geminę tolluntGaleamq; Puellę
Argento famam, ſanguine Facta notant.
Facta

Facta notant, Atavumque Genus, Claroſque Sicambros:

Gloria ſic gemina eſt, ESSE, FUISSE VIROS.

Vale. Lovanii, in Arce, v. Kal. Novemb. die Solis, ∞. I Ɔ C. X L.

EPISTOLA LXXXIII.

Bruxellam.

Litteris tuis nutriri videor, cùm alia pleraque aut amara mihi inſipida: nimirum, ubi benevolentia eſt, vitæ ſuccum animus invenit, ſed tuus candor quid niſi amor eſt, tuus amor, quid niſi candor? Calamus errare poteſt, animus non poteſt quando, Amore agitur: hic etiam, quando modũ excedit, lętior eſt. Nolui tamen vel ſic peccare, ut amarem per fectiùs. Ecce ad formulam ſcribo & tibi ſic monenti debeo, quia magis amico. De titulo parum eſt, ſi ipſa Epiſtola placebit: quæ nihil quidem ſingulare habet, benevolentiæ unius officiis abſoluta. Obligatum me profiteor: & hæc ſcriptionis ſimpliciſſimæ Summa eſt, ut non ad te minùs, quàm ad ipſum BIAEUM directa. Leges igitur, quando ipſe leget: communis enim ea eſt, niſi quòd uni inſcripta. Sed unus hîc uterque eſt, uterque

præ

præ omnibus eſt, & ſic viciſſim amari velim. In Elogio miſſo alibi ab HEUTERO abire auſus ſum, ut errorem evitarem. Tam enim certum eſt, RUDOLFI Imperatoris Patrem ALBERTUM, Avum RUDOLFUM fuiſſe, quàm filius ALBERTI nomine dictus eſt. Pluſcula ſunt, ſed de his aliàs: avocor enim, & à THEODORO, APELLE noſtro, qui negotii ad me cauſsâ vênit. Vale. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Jan ∞. I Ɔ C. XL.

EPISTOLA LXXXIV.

Bruxellam.

UT videas quàm mihi gratum fuerit Xenium tuum prorſus Litterarium, ecce totum uſurpare incipio. Papyrus emendatiſſima eſt, & qualem olim fortaſſis ne quidem Nilus dabat. Penna ſelecta, & accuratâ ſciſſa manu, illius, inquam, qui non ſine miraculo ſcribit. Diſcam ſcribere, cùm ſic ſcribo; & ipſum quoque ſermonem acuam, ſubtiliorem figens cuſpidem, & chartæ infigens. Arena pulcherrimâ, & nigram cum ſplendore mixturam faciet, quam inſperſum jam eo. Sic & Sigillum tuæ jam & geminę quidem liberalitati debeo; quia & pane minio tincto,

tinčto, & cerâ Hiſpanicâ exprimetur. Gratiam igitur maximam ſcribo, de tuo enim ſcribo: & ſic novo nexu tuum me profiteor. Obiter quidem nunc, & prorſus feſtinans, à Diſſertatione, quam de Stultitia publicè inſtitui, domum reverſus. Die igitur Saturni uberiores miſſurus ſum litteras, ut tum ſimul libellum novum ſupplicem adjungam. Cum Justo meo varius mihi nunc ſermo; ſanè ejus me præſentia recreare poteſt, poterit adjuvare. Ab eo ſimul ſalve. Lovanii, in Arce, prid. Eid. Jan. ꝏ. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXXXV.

Bruxellam.

Obiter pro munere gratiam heri ſcripſi, acturus, ita vivam ac tuus ſim. Sed funiculos etiam geminos omiſeram: quibus profectò ligatum me & obligatum profiteor. O vincula amanti ſuavia, quibus quoties utar, agnoſces certè quem in poteſtate tua habeas! Ecce libellum uxor mea & filius offerunt: an ſic bonum? Expende vel refinge. Ego ad Routartium ſimul ſcribo, cujus nobis iterum uſui opera erit. Quæ ad Sartenarium

TENARIUM faciunt, exſpectabo. Ad imagines verò quod attinet, nihil ſplendidius eſſe poterit, quàm ſeptem Portas exprimi, quarum adſpectus ad circumfuſam amœnitatem oculos, recreari avidos, ducat. Res Hiſpanicæ vehementer me ſolicitum habent: de Germanicis quid dicam neſcio. MI BLITTERSWYCKI, in hac tempeſtate, Deus nos reſpiciet, quem rogo, ut te mihi ſemper ſervet. Vale, & MOMMARTIUS noſter jamne valet? Lovanii, in Arce, Eidibus Jan. ∞. IↃ C. XLI.

EPISTOLA LXXXVI.

Bruxellam.

GAudeo, gaudeo, gaudeo: ſemel te rediiſſe, iterum rediiſſe à tanto periculo ſalvum: denique, tam conſtanti affectu manere meum. Bonus te ſervavit Genius, & ſervabit porrò, ita votum concipio, & me totum frigidâ jam manu ſed igneo animo ſcribo Tuum. Sponſus & Sponſa hodie *DIESTIUM* profecti ſunt, inibi habitaturi: ſalutem liberaliter reddunt. Tu

verò

verò ad nos excurres? Quando? Veni, veni, & vale. *IELEBIADEM* noſtrum ſalvere jubeo, ad quem ſcripturus etiam ſum. Iterum vale. Lovanii, in Arce, III. Kal. Febr. ꝏ. IↃC. XLI. Sciat quæſo *IELEBIADES*, hodie mandatum Quæſtori datum iri. De pecuniola in luctum deſtinata, *MOMMARTIO* quinque patacones dentur, hac enim mercede exiſtimo contentum fore. Tertium vale, quoties gaudere me ſcripſi.

EPISTOLA LXXXVII.

Bruxellam.

NOva epiſtola, nova moleſtia. Ecce ad Generum meum *BONVICINIUM* ſcribo: qui tecum inire commercium epiſtolare vellet, ſi grave non eſſet. Scio curas moleſtiasq; ſive publicas ſive privatas, quibus diſtringeris: ideòq; verecundè id propono. Propono tamen, ut Genero morem geram. Epiſtolam meam ad *CÆSAREM* Sodalitio *PARTHENIÆ* nomine ſcriptam, ante dies pauculos miſi, ſi receperis, bene eſt. Nunc pauca

etiam

etiam iſta Epigrammata habe: lætiora atque liberiora ſunt, & tanquàm ratio temporis permittat. Ἐπαγόμεναι nónne ſunt? Malè certè Bacchanalia appellamus Quicquid ſit, ludere auſus ſum, ne ſolus ſeveritatem obtinerem. Neque plura jam addo. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Feb. ꝏ. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXXXVIII.

Bruxellam.

TOtus jam in *SEPTENARIO* adeò multiplici hæreo, & tot ſimul myſteria expendo, Urbem ſeriò ſanè ornaturus. Sed ut hic Catalogus eſt, colloquio etiam tuo opùs erit, & explicatione. Quando igitur? Utinam hac occaſione te videre, & amplecti liceat! Feriæ erunt Curiales: quid ſi ad nos excurras? Ad nos, inquam, & ipſam Arcem, quæ jam vacua et libera eſt, ac hoſpitem, tam mihi amicum invitat. Ego neſcio quomodò ad iter deinceps ineptus ſim, motum enim valetudo averſatur. Sic magis ad me venio, animumque colo, quia minùs commodè corpore utor. Cæterùm domi adhuc vegetus ſum, ut

calamum

calamum occupem; in ſchola: ut linguam: ac niſi aliæ curæ vigorem mentis delibarent, eſſem qui junior fui. Sed ita eſt, *Quiſque ſuos patimur Manes*. Suum etiam ætati Ver eſt, tandem hiems: & quàm multi etiam citrà conſeneſcunt. Si tacitam eſſe ſenectam non ſinam, juvenis videbor; ſi vitæ non ſpatia, ſed opera computavero. Inter hæc igitur, te auctore & adjutore, *BRUXELLA* erit, quam ſeriò mox abſolvam σὺν θεῷ. Hoc opus erit, ut melior publicæ rei fortuna contingat: hinc enim privatam feremus. Vale, & ſi commodè fieri poſſit, *ANDREAM* meum dirige: in illo magis etiam me ama. Lovanii, in Arce, x. Kal. April. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXXXIX.

Bruxellam.

INtermiſi his aliquot diebus ſcriptionis vices, tuis interim me oblectans Litteris rebusque, ut non fruſtrà nunciantur, Apræ exſpectationem lætis, quod dici ſolet, evenit: θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Dabit is progreſſum victoriæ, totamque fortunæ faciem convertet.

 Galli

Galli pergunt ſtrepere, recepturi fortaſſis bellum, quemadmodùm aliis inferunt. Reſpiret modò Imperator, ſuſpirare illi occipient, ita ſanè diſponi res videntur. Sed ô Hispaniae fata! Si quid ſpei, ſi quid rei melioris, fac quæſo ſciam: ſimul an ex formula quietam impoſterum Arcem uxor mea filiusque habituri: quæ æquiſſima prorsùs petitio eſt. Septenarii te ſatagere gaudeo: mitte, ſi quid præterea ſcrutatus es. Imagines verò ut hærent? Nullum enim poſtea exemplar, accepi. De ſeptem Portis ſcripſeram: nihil ſanè hac amœnitate jucundius ſit, ſive artem, ſive naturam conſideres, & hanc lætiſſimo circumquaq; vultu ridentem. Neſcio equidem quid ęquè ipſam commendare Urbem poſſit, quid magis Lectorem oblectare. Sed finio, ne de Epitaphio Paterno nunc dicam; quod proximè dabo. Vale. Lovanii, in Arce, ipsâ Neomeniâ Aprilis, ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA XC.

Bruxellam.

NOlui hunc ſine litteris diem eſſe: has autem Epitaphium, hucusque dilatum

faciet

faciet, unde: ut vides, & primis velut lineis, imò lituris deſignatum.

D. O. M.

JUSTUS
BLITTERSWYCKIUS,
EQUES,
QUI INTER PAUCOS EMINUIT,
INTER PLURES
HIC JACET.
TRADUCE E SICAMBRIS IN BRABANTIAM
EQUESTRIS
AB ANTIQUO ORDINIS STIRPE,
GENUS SUUM INNATO VIRTUTIS GENIO EXPRESSIT
A SE EXIGENS,
QUOD MAJORES FUERANT,
LITTERIS, QUOD ILLI ARMIS;
CUM INTER
JURIS-CONSULTOS
EXCELLERET,
A CONSILIIS ESSE REGIIS
Hhh 2 MERUIT:

MERUIT;
IN
SANCTIORI QUOQUE ÆRARIO
FISCI ADVOCATUS,
MUNUS DIFFICILE
TAM DEXTRE ET INCORRUPTE ADMINISTRAVIT,
UT REGI SUO UTILIS,
NEMINI GRAVIS ESSET.
QUIN IMO (MIRUM DICTU!)
ILLIS IPSIS ADHUC GRATUS,
QUIBUS DECESSIT,
QUOD FISCO ILLATUM.
VARIAS NON MINORI FRUCTU, QUAM LAUDE
PROVINCIAS OBIVIT.
IN BURGUNDIAM VERO,
GELDRIAM,
TRACTUMQUE TRANSMOSANUM
A REGE DELEGATUS
UTROBIQUE AB AGNATIS
ILLUSTRIORIS NOTÆ VIRIS
AVIDE, LÆTE ET MAGNIFICE EXCEPTUS EST.
ILLIC

ILLIC SINGULARI INDUSTRIA
ET SUPRA EXSPECTATIONEM
CENSUM REGIUM
IN SOLO SALIS PROVENTU
AD DUCENTA OCTODECIM FLORENORUM MILLIA
ANNUA AUXIT;
HIC UT COMMERCIUM NOBIS
CUM BATAVIS RESERARETUR,
AUCTOR FUIT,
QVANTO POPULI COMMODO;
TANTO APPLAUSU;
ET SIC
REGI ATQUE PATRIÆ
NON PARUM PROSPEXIT.
CÆTERUM ANIMO CANDIDUS,
CONSILIO PROMPTUS,
ELOQVIO FACILIS,
HOC EGIT SEMPER;
UT SUUM SIBI NOMEN VINDICARET.
OPTIMUM PARENTEM LIBERI
QVEM VIVUM COLUERUNT,

MORTUUM LACRYMIS,
LUCTU,
PIETATE PROSECUTI SUNT,
ET HOC MONUMENTO HONORARUNT.
VIXIT ANNOS.......
ET QUAMVIS SENEX,
PRÆMATURE OBIIT.
ꝏ. IↃC. ....

Vale, & Nobiliſſimum Parentem à me officiosè ſaluta; cui longam vitam precor, bono omine, quia mortem non timet: ſe hîc viſurus mortuum, quemadmodùm etiam poſt fata vivet. Iterum vale. Lovanii, in Arce, ſubitò, XIV. Kal. Majas, ꝏ. IↃC. XLI.

EPISTOLA XCI.

Bruxellam.

NOn ut volo, ſemper valeo: neque etiam ægroto. Vitia quædam corporis ſunt, magis magiſque ſeneſcentis. Nónne hæc ipſa ætas morbus eſt? Modicè ſic etiam libros tracto, molliùſque ſcribo: quod vel in epiſtolis meis notabis. Hanc tamen ad Marc- hionem

hibnem Malvezzium typis excuſam, mitto, non melioribus illis; ſed quales præla hæc noſtra donant. Venuſtius putavi, calamo non uti: quem morem Jo. Baptistae Sacci fuiſſe, Viri non minùs elegantis, quàm docti, neſcio an aliàs indicârim. Hoc ornamento apud Virum Natalibus, Doctrinâ, Dignitate Magnum ac ſublimem uti quis vetat? Quid ſcripſerim, vide: exemplar enim adjunxi. Sed ſi potes, ipſe faſciculum trade, ut quæ dicenda ſunt, addas. Dici autem poſſunt uberiùs, quæ breviter ſcribo. Ut ſcias, hujus favorem Viri ambio: quem ut hac occaſione tibi imprimis concilies, operæ pretium duco. Prœlium Voringanum avidè exſpecto, & reliquas imagines ut Septenarium abſolvamus. Vale. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Jun. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA XCII.

Bruxellam.

MAgnam paucis verbis, ſcribo epiſtolam, & hoc ſolo argumento, ut famam in majus omnia efferentem, compeſcam. Neſ-

cio quo caſu ſubitò in Arce, heri diluculo exarſit incendium: flamma tamen contineri muris atque tecto potuit, cùm maximum ſanè periculum ac præſentiſſimum eſſet. Noſtri Atrium minus, quod ante Sacellum eſt: ejus laquear ligneum ex parte conflagravit. Convocati ſunt vicini, & bonam ad ignem extinguendum contulerunt operam. Cõcurrunt alii, & promanante incendii famâ, cùm & publicum æris ſignum daretur, ad Arcem ingens multitudo conſcendit. Sed tantâ mole opùs non erat, ut cornua ſua VULCANUS contraheret: aquam Ciſterna noſtra, & ſimul Puteus ſubminiſtrabant. Ut ſcias quid paſſi ſumus; totum centum florenis damnum æſtimatur; mox mox reſarciendum. Sed de his ſatis. Quidni *SEPTENARIUS* noſter tandem prodeat, & vel invitâ invidiâ legatur? Non colam *MINERVAM* niſi hanc colam, numeri myſterio religioſam. Laminæ ante æri inciſæ ſi ad manum; ſatis ornabunt Opus, & ad pretium attollent; à typis autem plena majeſtas accedet. Hîc ſanè oſtendat *TIMMAROMUS* noſter, & elegantem ſe, & Civem eſſe. Nunc ſalve mi *BLITTERSWYCKI*, imò vale, ut ſcribas, ſcribe ut valeas. Lovanii, in Arce, Eidibus Juniis, ꝏ. IↃC. XLIV.

EPIS-

EPISTOLA XCIII.

Bruxellam.

VOs in Encœniis, nos in Nuptiis; ſed quietis admodum, ac nullo perſtrepente *HYMENÆO*. Quod dicere coram, quàm ſcribere malui: *PANTUS* noſter, affinitate *EUPANTUS* factus eſt. In conjugem filiam meam *CAROLINAM* petiit; dedi a cujus matrimonii cauſsâ, *VIENNA LOVANIUM* reverſus erat. Novum jam igitur domi habeo Generum; ſed bonum, bene natum, qui ut bonam haberet uxorem, hanc elegit. In ſponſo & mores ames, & ea quæ à fortuna ſunt, quæque æſtimare homines ſolent. Bene utrique ſit. Te complectar, ſi veneris: & quidni cum Optimo tuo *AHENO* & *EVSIBAM* ego, tanquam larem familiarem excipiam: qui ſi me amat, de itinere moleſtus non erit. Hîc colloquemur & liberè & otiosè, hîc læti erimus, & quæ ſeria ſunt, læta faciemus. Cæterum quæ me vincula domi retineant, facilè intelliges. Aliquid etiam valetudini meæ concedes, magis magiſq; vacillanti. Niſi enim quieſcam deinceps, & meo me lare contineam, non corpore tantùm, ſed & animo langueam, neceſſe eſt. Commodis horis

ad Cartuſianos ſoleo, vel ad Capucinos vehi: cùm vicinia placet, ad Carmelitas, vel ad Antiſtitem Gertrudanum: hinc collecto quaſi ſpiritu ad ſtudia redeo; & ea ago, quæ à mortuis me ſecernunt. De *BRUXELLA*, & Elogiis rectè mones: ſed & meâ ſponte incitatus ſum: faciam ergo ut ſic etiam magis me ames. Notæ in *GRATIUM* jam paratæ, quas à me hîc accipies, ad *VLITIUM* tranſmittendas. Vale cum dulciſſima Conjuge, cum *EUBISA* reliquisque amicis. Lovanii, in Arce, XXV. Kal Auguſt. CIↃ.IↃC. XLIV.

EPISTOLA XCIV.

Bruxellam.

EGo verò ſcripſi, & ad tabellarium literas miſi. De ſilentio & amore neſcio quid amœnius effundo; quia ſilentium tuum excuſas. Scribis, ita me Deus, etiam cùm non ſcribis: ſed ſcribendo paſcis animum meum ac ſtudia; non ſcribendo magis accendis. Nimis profectò religiosè diei unius ſilentium excuſas: malo enim in animo, quàm in calamo tuo eſſe; viciſſim nunquam magis amo quàm cùm non ſcribo. Scribo autem,

ut amorem indicem; imò ut apud Amicum rerum atque cogitationum mearum imagines exponam. ſic verò in curis lætiorem videor auram capere: ſic majores in ſtudiis animos quæ ex intervallo ſanè languent. Suave interdum otium eſt, ac tum vel maximè occupor: nihil enim agere difficillimum eſt; ac tum ipſum otium grave. ENNIUM hîc audio: *otioſo in otio animus neſcit quid velit.* Sed ad litteras redeo, quas miſi, easque fortè jam à tabellario acceperis: nec plura dicam. Vale EUBISAM objurga, quòd cùm à ſudore & æſtu reſpiraret, non me acceſſiverit: aquam certè in refrigerium & totum nomine meo puteum attuliſſem. Bene eſt, ſed non ſine pœna evadet. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Aug. CIↃ. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XCV,
Bruxellam.

HEſterni cauſſam ſilentii in famulum meum conferes, officium ſui negligentem: iverat ad tabellarium ſed ſerò; ſi ivit tamen. Uberiorem igitur nunc faſciculum mitto, aut potiùs geminum; ut ad heſternas tuas breviter ſaltem reſpondeam. CONIECPOLSKIUS noſter

noſter debet humanitati tuæ,& ecce ſcriptione profitetur. Mihi verò nihil ſuavius erit, quàm te & *EUBISAM* meũ cõplecti;ſemel licebit multa. Sed *BRUXELLAM* omnino abſolvere conſtitui, ut mox Elogia ſequantur. Ipſum adhuc Carmen, quod fundamentum eſt operis, interpollandum fuit: interpolavi, propriis, ut ſic dicam, Muſis, quas pridem reliquiſſe videôr. Auſim jam non quidem judicium tuũ, ſed Elogium exſpectare. In ipſo Argumento placuit, μηδὲν ἄγαν. Sed & minuta quædam ſunt, quædam non neceſſaria. Valere te cupio, & ſemper meum eſſe, Lovanii, in Arce, v. Eid. Aug. ∞. ɪↄc. xLIV.

EPISTOLA XCVI.

Bruxellam.

GEminum Poëtarum Græcorum volumen tam gratum mihi fuit, quàm avaris ſolet aurum eſſe. Commotus ſimul fui Sanctiſſimâ Comitis ZAPATAE memoriâ, hanc apud omnes laudem adepti, ut cùm homo eſſet, plus Divini quàm humani referret. Hos ille familiares ſibi ſcriptores habebat; hos ego nunc mihi tanquàm ipſum inventurus.

rus. Egregiè ſic quidem auctus ſum, quod tuæ acceptum benevolentiæ officium refero, ut omnia dicam, Tuus. Inſcriptiuncula illa paucis jam à verbis multúm pretii accepit: mihi verò ſatis adhuc luculenta non videtur: inveniam, quod decorè addam, brevitatem interim non excedam: nam liber ipſe brevis eſt, brevia omnia, & omnino laconica, quæ libro continentur. NAUDAEUM exſpecto, miſſum ab Eminentiſſimo Galliæ Cardinali, ad libros in BELGIO coëmendos. Epiſtola mea ad Senatum, nulla eſto, niſi GELBERCONDIO placuerit: facilè autem ſcripturus ſum. Vale cum D. Uxore, & cultum à me Optimo Parenti indica. Lovanii, in Arce, x. Kal. Septemb. CIƆ. IƆC. XLIV.

EPISTOLA XCVII

Bruxellam.

CArmen *PAREDEST* lætus vidi, & tacito affectu Auctorem complexus ſum, laude & præconio dignum. Litteras *TAGRADULEONTIS* recepi cum tuis. *D. AHENUS* an redierit *CORTEBERGA*, adhuc ignoro: ſed mox inveſtigaturus ſum, ut quæ ſcribis,

indicem. Heri non ſcripſi, quia neſciebam quid ſcriberem: aderat etiam *NICOLAUS HEINSIUS, DANIELIS* Doctiſſimi Amici mei Filius, qui *AQUISGRANO* huc vênit, poſt aquas, noſtrum hîc aërem libaturus: ita exigebat valetudo. Primus ſtatim de te ſermo erat, juſſitque hodie ut ſuo te nomine amiciſſimè ſalutarem. Modeſtus, ſed perquàm eruditus eſt, multumque Patris habet. Conatus eum ſum ad Arcem pertrahere, ut hoſpes meus eſſet: ſed hactenus recuſavit; videtur autem pluſculos hîc dies hæſurus. Te nunc rurſùs exſpectare incipiam, te, ſed non ſine te; id eſt, Suaviſſima Conjuge; quæ gratiſſima toti familiæ erit. Vale. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Octob. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XCVIII.

Bruxellam.

INvitus ſilui: & quid attinet cauſſam adferre? Interea ab amiciſſimo EUBISA noſtro THYRSOS acceperis, ſimul cum MARTIREMATIS excuſos. BIVII hîc jam quartum folium habes: quot ſuperſint, adhuc neſcio; mittam verò ordine, & mox Exemplaria

ria aliquot. BRUXELLAM noſtram Reverendiſſimo ATREBATENSI cenſendam URBIUS tradidit, Vir ut Amicus & doctus, ita ſedulus: qui annotationibus quibusdam ſuis non parum me direxit, & juvit. De editione igitur mox conſilium capiemus. Filiolam tibi natam eſſe, & tam ſolemniter ab Ordinibus GELDRIAE è Sacro Fonte ſuſceptam, gaudeo ſanè, & gratulor. Litteras quoque tuas AHENUS læto vultu animoque oſtendit: quod addo, ut de affectu ejus ſtatuas. An in Senatorium numerum aſſumendus ſit DUNELTUS, incertum adhuc. Nunc te rogo, ut longioris epiſtolæ loco, Virtutum has aliquot lineas habeas, & me amatus ames. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Mart. CIↃ. IↃC. XLV.

EPISTOLA XCIX.

Bruxellam.

SUbitò, ſed liberaliter tamen ſcribis, mi SBLITTESWICKI, & gemino me munere beas. Non profectò potes à divina natura tua recedere, quæ ſemper benigna eſt, in me autem vel maximè effuſa. Quid mune-

ra

ra tua nomino? Ipſæ litteræ tuæ munera ſunt frequentes etiam quando ex intervallo mittuntur. Impius ſim, niſi negotia tua,& à Curia curas expendam. Sed meum ſilentium qnomodô excuſem? Quidquid adferre poſſim, infra affectum eſt: ſunt tamen & mea mihi impedimenta, in ſtudiis, & in libris. Sed ad te & munera tua redeo, quæ tamen mihi grata certè fuerunt; ut profiteri obligationem ſatis non queam. Caligas illas hiemales (ſic enim propriè appello) ut accepi, indui, & profligare à pedibus hiemẽ viſus ſum, firmiùs etiam ſic veſtigia figere, quaſi nec Elephanto cedam. Sic heri prodii, ſed rhedâ tamen vectus, Auditorium Trilingue intravi, Cathedram aſcendi, de admirandis anni hujus ∞. IↃC. XLVI. Verba feci. Steti firmiter, dixi conſtanter, cùm à frequentiſſima Juventute, & ſumma cum attentione audirer, incaleſcere potui, quia nullus in pedibus rigor erat, & ſic nullus in lingua. Profuit hîc quoque præſtantiſſimus ille liquor, ſimul à te miſſus, quem priuſquàm prodirem, libaveram. Aliquid ignis pectori infuſum fuit, faciliſque in ore deinde Suada. Hac Ambroſia tua audebo deinceps facundus eſſe, hoc nectare vel ipſum calamum imbuam. Sed extra jocum: unde nobis iſtæ deliciæ? Domeſticæ,

an

an exoticæ ? Ipſa phiala quinis columnis quaſi in turriculam erecta, multùm elegantiæ habet; ſic etiam contrectari facilis, quoties flos ille vini depromendus eſt. Ego nunc in ſtrenam quid reponam ? Non poſſum niſi ingenii dona, ſed quàm exigua, omnibuſque tuis meritis inferiora; habes tamen hîc aliquid, quod etſi exiguum pro tot tantiſque in me collatis muneribus hoſtimentum affectus, ſupplebit & animus. Deſcripſi rurſus igitur, ut nuper Epigrammate, nunc Proſâ, Nobiliſſimæ veſtræ Familiæ Inſignia. *GENTILITIA BLITTERSWYCKIORUM* Inſignia purpurea ſunt, & argento ſplendent. Lucem in ſanguine videas, ſanguinem Virtutis luce ante annos ccc. Nobilitatum. Nil pulchrius ſimpliciuſque ſcuto; nil ornatius Galeâ. Scutum purpurâ ſuâ argenteam atque triſulcam cæli an terræ Machinam repræſentat. Miles nimirum fulmenque belli aliquando fuit, qui primus hac imagine decoratus eſt: POLIORCERES fuit, murũ & hoſtilẽ tergeminis, & acuminatis pinnis loricatum ſanguine expugnavit. Galea torquata, coronata, & alata eſt, plumeaſque utrimque frondes ac fimbrias, interiore parte purpureas, exteriore argenteas, evolvit. Putares & hîc ſcutum pingi. Torquis aureus, & collum Galeæ cingens incluſum

 auro

auro pyropum ſuſpendit : quod virtutis Militaris præmium, & ornamentum eſt. Corona aurea, gemmis, bacciſque diſtincta, quid niſi Regius & eminens quidam Nobilitatis apex? Alæ geminæ, quarum altera purpuram ſuam velut à Sole, altera argentum ſuum, velut à Luna trahit. Ipſa ſic dixerim, ad Cælum Inſignia attolli. Medius & erectus qui coronæ inſiſtit lepus, vigilantiæ Typus eſt, & viridem lauri ramum ore pedibuſque anterioribus continet: prorſùs tanquàm victoriam, pacem, felicitatem portendat. Virgines deinde geminæ Galeam, altera ſiniſtram extendens manum, altera dexteram, ſuſtinent. Virgines, ut illibatum gloriæ decus intelligas; Virtutem hîc verò, & comitem ejus gloriam denotari. Ab ornatu diſcrimen eſt : ſiniſtra enim tunicam purpuream, ſed manicas argenteas ad cubitum ſubſtrictas habet; hæc virtus eſt : dextera tunicam argenteam, ſed manicas purpureas; hæc gloria. Vela è verticibus pendula, & ad ſinum retracta, fortunæ aurâ ventilantur. Hæc *GENTILITIA BLITTERSWYKIORUM INSIGNIA* ſunt, è Sicambris ad Brabantos Sequanos & Transmoſanos (cùm una tam illuſtri Familiâ Provincia auguſta eſſet) tranſlata : eo decore ac jubare, ut non unam jam illuſtret

illuſtret.

Placebit, niſi fallor, conatus meus, quem ut ſemper magni feciſti, ita me ſemper ama. Vale, & feliciter vive cum dulciſſima Conjuge, & cariſſimis liberis. Hoc votum meum, coniugis meæ, totius familiæ. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Febr. ∞. IↃC, XLVI.

EPISTOLA C.

Bruxellam.

Eubisa à Fontibus Spadanis rediit: quidni ſcribam? Is verò Epiſtolarum noſtrarum director eſt, fomes, ut ſic dicam, Amoris. Mariae in Viro Nomen qui ferre nequeunt, nimiâ fortaſſis videntur reverentiâ peccare, etiam aliquâ imperitiâ; quia ſuâ familiâ, vel Urbe, vel etiam Religione Europam metiuntur. In Italia (ut ſatis id exempli) tam frequens hæc appellatio, quàm hîc Guilielmi: quam conſuetudinem Pietas introduxit. In Sarmatia aliquę certè Mariae ſunt, & nunc ipſa Regina Maria eſt; quæ nec ipſa dubitaret nomen ſuum ſive ad filiam, ſive ad filium quoque derivare. Sed miſſum hunc ſermonem facia-

mus. BRUXELLA hîc jam paſſim legitur, &, ſine ambitione dicam, laudatur. Quid præmii decretum intellexeris. Mihi jam propemodum ætas acta eſt: cæterùm animus erat, Patriam aliquâ ſcriptione condecorare; non tam felix fui, ut cui deberem ingenium, impenderem, ſtilo autem ipſam pietatem explicarem. Deſii lare civis eſſe, non deſii affectu; ad Patriam redit, ſi quid vel nominis, vel famæ alibi nactus ſum. Sanè vel ideó quia litteras colui, bene de patria meritum me poſteritas iudicabit. Vale mi BLITTERSWYCKI, & me amare perge, ut plures ament. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Aug: CIↃ IↃC. XLVI.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LOVANII,

Typis ANDREÆ BOUVETII,
Typogr. jurat. M. DC. LXII.

Digitized by Google

Digitized by Google